




24089. III Riga


1536. d.














DE
IMMORTALITATE
MENTIS
HUMANÆ
Colliguntur in **EX Soniae catalogo**
VIA PERIPATETICA
JOANNIS BAPTISTÆ
Lib. Baro. de GÄRZAROLL
inscriptus. Philosophi. A. 1688.
LUCUBRATIONUM
Liber unicus.
REVERENDISSIMO AC
CELSISSIMO
DOMINO DOMINO
JOSÉPHO,
Ex Comitibus à Rabatta,
Sac. Rom. Imp. Principi,
EPISCOPO LABACENSI
DEDICATUS.

LABACI,

Type. Joannis Baptistæ Mayr, Inclitorum Statuum
Carnioliae Typographi, Anno 1681.



130051735


DEDICATIO.



Reverendissimo, ac Celsissimo Sac. Rom.
Imperij Principi

DOMINO DOMINO

IOSEPHO
Ex Comitibus
A RABATT



Episcopo Labacensi, Lib. Bar
rimbergo, Domino Dominij Can
Cæf. Majest. intimo Consiliario, Equiti S. Joannis
Jeroſolymitani, Commendatori in Loffen
Groſtenz, & Oberlibich,
&c. &c.

REVERENDISSIME, &
CELSISSIME PRIN
CEPS. Quid Gentilitiæ No
bilissimæ Profapiæ tuæ ru
bentes alæ, & fulgidus currus deno

DEDICATIO.

tent Urbi & Orbi notum est, nec aliud,
nisi quod illæ innata benignitatis um-
bra æstuantes sublevent, eosq; indefati-
gabili protectione, medio salutari curru,
à malignantiū jaculis avertant : & illas,
& hunc clarissimorum Prædecessorum
tuorum Gentilitij Stemmatis ac splen-
doris indubitatum argumentum. Ne
dedigneris ergò Reverend. & Celsissime
Princeps, si ego Antiquus non, alumnus
solum, sed cliens accessero ad certissi-
mum refugium, & meum de immor-
talitate Mentis humanæ librum ex
mente Aristotelica impressioni, sub in-
fallibili protectionis tuæ adumbraculo,
demandavero, quandoquidem arduū
ac difficile quidquam est pronunciare
de anima, adeo nobili ac præstantissi-
mo ente, ut aliqui non dubitarint Nu-
minis particulam nuncupare : imò

Sim-

DEDICATIO.

Simplicius in Proemio in libros de anima, medium inter naturalia, & ea, quæ naturam excedunt, statuit, eo quod aliquid habeat, quod cum ijs, quæ naturam superant, ei commune sit; nec non aliquid quod ad ea, quæ naturæ sunt; & ipse met Philosophus de hac tractatus profitetur arduum quid, honorabile tamen, se peracturum: & Magister Stagiritæ in Timæo: de præstantissima igitur animæ nostræ specie ita est sentiendum; nempe hanc Deus, ut Daemonem, nostrum cuique tribuit: hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad Cœli cognitionem à terra nos tollere, tanquam animalia cœlesti potius quam terreno semine nata: quod quidem rectè admodum dicitur, vnde enim primus animæ datus est ortus, inde divina vis

DEDICATIO.

caput radicemq; & originem nostram
pandentem suspendens totum dirigat
corpus: & Ruvius in Proëmio in libros
Aristotelis de Anima ait, non facilem es-
se cognitionem Animæ nostræ, cùm
hæc sit summa quædam seu, compen-
dium divinorum operum, quæ circa
totius mundi Opificium versantur,
quodammodo in se complectens spi-
ritualium, corporearumque rerum o-
mnium excellentiam, ex quo quot-
quot hac de re scripferunt, valde di-
sensere, ac non exigua dissidia excita-
vère, vt quò colliment vix scias. Tibi er-
gò Reverendissime ac Celfissime Princeps,
Columnæ Ecclesiasticæ Inclytæ Car-
niolicæ Provinciæ, hunc liberculum
dedico, ac consecro. Vale ergò, & vt
optimè valeas eum, qui te Aaronem
ex toto populo delegit deprecor, sa-
cram-

DEDICATIO.

cramque Tiaram Ecclesiasticam deo-
sculor, ac veneror,

*Celsitudinis Tuæ Re-
verendissimæ*

Servus perpetuus

Joannes Baptista Lib. Baro
de Garzaroll.

S(0)S

CENSURA.

Iussus à Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. Principe Domino Domino Josepho ex Comitibus à Rabatta Episcopo Labacense &c. &c. Legi ego infra scriptus libellum, cui titulus : *De Immortalitate mentis humanae ex via Peripatetica Joannis Baptista lib. Baronis de Garzaroll lucubrationum liber unicus*, nec ullum in eo Orthodoxæ Fidei, aut bonorum morum offendiculum, bene verò Auctorem instituto suo subtiliter, & fundatè satisfecisse, deprehendi : quapropter dignum judico, qui publicæ lucis beneficio admiratione potius, quam cognitione perceptibilem Mantis humanæ dignitatem, etiam ex iis principiis, sub quibus plurimis, tanquam sub velamine, latere videbatur, immortalem depræcidet, & Auctoris acumen Orbi litterario commendet.

Sic censui Labaci 6. Decembr. 1680.

Fr. Antonius Lazarī, Ord. Minor.
S. Francisci Regul: Observan: SS.
Theol: Lector Generalis, & Con-
sistorialis ibidem.

Franciscus Josephus Garzaroll,
Doct. Vicarius General. La-
Labacensis.



LUCUBRATIO.

Quædam præliminaria de Anima.

Um Zabarella in Proemio de mente Humana, de Animæ scripturus audeo dicere; fatui potius, quam sapientis hominis esse expiscari velle cognitionem cœlorum, elementorum cæterorumque mixtorum præteritâ sui ipsius cognitione, humanæ videlicet mentis indagine, quâ homines sumus, & per quam solam hominem ipsum esse, plures Philosophi existimarunt; Hinc Plinius in libris naturæ historiæ, hominem dixit esse animal cunctis imperans & excellens: Trismegistus in Asclepio, Animas nostras in Horizonte æternitatis ac temporis positas esse: Philo Judæus in libro quod deterius insidietur posteriori, & Plutarchus in quæstionibus Platonicis considerantes, animi nostri naturam & excellentiam erroneè divini Numinis particularum pronuntiarunt; hinc Lucius Apuleius ^{7. cap. 1.} Deo So-

lejus , præstantissimum animal sæpè sæpius declaravit , & in contrarium statuentes homines æquivoce dicendos , & Plotinus qui Lib. 7. de rebus Divinis plurima scripsit , & pro-
 Enead. pterea divini nomen est adeptus , dicit ipsam Animæ naturam per se esse , cum divinitate In 1. E-
 nead. 1. conjunctam , ex quo Marsilius Ficinus non dubitavit afferere Animam rationalem per intellectum copulari menti Divinæ . Anima etenim tam nobilis ac excellens est , ut Philosophus de anima profiteatur se tractaturum de mirabilibus , ideoq; velle aggredi historiam de anima , & certè jure merito si quidem omnibus sribentibus de hac materia plurimi difficultatum scopuli occurrerunt , & maximè iis , qui Animi æternam durationem semotis sacrarum paginarum Oraculis , Sanctorūmque Patrum testimoniis solis naturalibus argumentis ostendere conati sunt . Mihi verò propositum est demonstrare Animam Humanam , nec interitum vel occasum experturam ex mente Aristotelica : & licet Philosophus videatur agitari modo in vnam , modo in aliam partem , attamen textus in contrarium statuentes interpretandi , connectendiq; sunt ut mens Stagiritæ elucescat .

3. tex. 4. Aristoteles ergò de anima ait , difficillimum esse aliquid certi statuere de ipsa , de ipsius nempè essentia , etenim tot tantæq; occurruunt difficultates , ut ipse met toto illo pri-

primo libro recensendo opiniones antiquo- Tex. 19.
 rum agitetur quasi navis inter medias pro-
 cellas , & expressè doceat à progenitoribus
 suis didicisse animatum ab inanimato dif-
 ferre solùm motu & sensu , quare per totam
 summam secundam ejusdem libri refutat
 sententiam aliquorum dicentium , esse quid
 movens , & quod illud ipsum non movea-
 tur , ostendit namque & movere , & move-
 ri : & pariter reprehendit dicentes animam
 esse ignem , aliosque esse ramenta aërea :
Tex. 20.
 nec non afferentes esse ex elementis : pari-
 que ratione confutat dicentes esse nume-
 rum moventem se ipsum : Et subinde re-
 censet opinionem eorum , qui existimarunt
 animam esse immortalem eo quod moveat
Tex. 21.
 continuò , ut movent Divina , inter quos
 recensetur à Philosopho Alcmæon : Nec de-
 fuerunt qui naturam ejus posuerunt in ge-
 nitura , quoniam humiliissima est , prout &
 in sanguine , ex quibus definientes anima-
 tum , dixerunt , esse elementum , aut ex ele-
 mentis , & quoniam anima omnia cogno-
 scit , dicebant eam conflatam esse ex omni-
 bus principiis : verùm quia inter illos de
 principiis altercatio est , ideo ponentes v-
 num principium , ex eodem animum pro-
 dire dixerunt ; & qui plura , ex pluribus eun-
 dem originem ducere afferuerunt , vnumq;
 compositum ex iisdem statuerunt . Verùm
 his prætermisis , accedamus Philosophum .

Text. 4. Aristoteles de anima difficillimum ait esse aliquid statuere de ipsius essentia , nam tot tantæque occurrunt difficultates , vt ipsemet toto illo primo libro , vt superius dictum est , recensendo opiniones antiquorum , agitetur quasi navis inter medias procellas .

Quæstio ergo hæc , quid est Anima ? præclarissimorum Philosophorum ingenia trituravit , adeò quidem , vt multi ausi sint dicere Aristotelem dubium ac irresolutum extitisse , & videntur dubietatis argumentum desumere ex eis , quæ scripta sunt de anima vbi ait : Si igitur est aliqua animæ operatio , aut passionum propria , continget utique ipsam separari , si vero nulla est propria ipsius , non utique erit separabilis (& alio loco) videntur autem & animæ passiones omnes esse cum corpore (& alibi) manifestum est quod passiones in materia sunt , ex quibus licet prima fronte nihil certi statuere videatur , conabimur tamen cum cæteris posterioribus textibus hos quoque ad invicem combinare & conciliare , vt magis prodeat in lucem mens Philosophi , vbi de æterna duratione Animæ de ejus mente ex professo tractabimus , & sufficiant hæc pauca præliminaria , ac ad investigandam ejus essentiam ac naturam præambula dicta sint .

LUCUBRATIO II.

Quid sit Anima.

Antequam ad animæ definitionem ^{2. teor. 3.} deveniamus, necessarium est inquirendū. ^{4. Q. s.} rere juxta methodum Aristotelicam, an ea sit substantia vel accidens: ita Philosophus de anima, & maximè verò text. ^{4. ad investigandam quidditatem & entitatem substantiae utitur argumento vitae;} dicit enim corpora naturalia esse in duplice differentia, alia quidem participantia vita, alia carentia, & concludit; omne corpus naturale participans vitam esse substantiam, quare congruum est asserere secundum ejus opinionem tribuendum esse ipsi animæ characterem substantiae, siquidem, prout dicimus, non vita solùm, sed principium omnium actuum vitalium est, verum quidnam ansam dubitandi præbeat, inquirendū est ad hoc, ut facilius statui possit quidquam certi & determinati.

Galenus quidem in suis de locis affectis ^{3. cap. 5.} libris docet animam esse temperamentum qualitatum, & immutari cum ipsis: & de usu partium, fatetur se ignorare animæ naturam: & iterum libro, quod mores animæ temperamentum corporis sequantur: videtur dubius, magis tamen inclinare ad temperiem qualitatum, eo quod fiat animæ mutatio

tatio in ebrietatibus, & aliis accidentibus, hæc verò solubilia sunt cum facilitate, vt infra.

Substantia igitur dicitur eò quòd subsistat, anima verò non videtur subsistere cùm sit quid incompletum, quod per se subsistere non dicitur, verùm per subsistere per se, intelligendum est quod possit subsistere absque subsistentia inhæsiva, non hæret itaq; ita materiæ, vt ablata ab illa non subsistat, vt cæteræ substantiæ materiales, quæ nullam subsistentiam habere possunt nisi in materia, quod de anima rationali non verificatur, aliàs materialis pronuncianda foret; habet enim subsistentiam entitativam & non, ut dictum est, inhæsivam, appellatur enim ens incompletum, ratione compositi, & comparativè ad alias substaniæ, quæ nullum appetitum habent ad uniuersum cum alio.

Et si dixeris, animam esse in subiecto, & propterea non dici substantiam, cùm substantia dicatur, quæ substat accidentibus, quod non videtur competere animæ: dicitur ergò substantia, quæ substat non subiectivè, sed perfectivè, perficiendo enim substantia, perficit enim corpus dando ei attributum quod quid, non enim accidens perficit subiectum sicuti perficit forma, quare licet substantia substet accidentibus ab his tamen non perficitur: substantiæ igitur ratio sub-

subsistendi sumitur ab eo, non quod simpli-
 citer substet, sed ab eo quod non sit inhærens
 alteri: ita pariter ex eo quod anima, nec
 species, nec genus sit individuum prædica-
 menti substantiæ; ideo non competere ei
 prædicatum substantiæ, verum quidem est
 quod non sit substantia prout est genus ge-
 neralissimum, quod solum competit sub-
 stantiæ completæ, at est incompleta pars
 tamen substantiæ, & licet nec sit genus, nec
 species Physica, sat est quod sit species Lo-
 gica: anima enim constituit vivens inesse
 completi, & facit unum per se cum Mate-
 ria prima & quia eadem est principium ra-
 dicale omnium accidentium & operatio-
 num vitalium, quod in accidentia refundi
 non potest, quæ solummodo agunt virtute
 substantiæ cui inhærent, & anima cohibet
 motus internos & affectiones, quod nullo
 modo de qualitatibus dici potest, ideo dici-
 mus animam esse substantiam. Nec valet
 asserere animam esse id quo pereunte perit
 animal, quia hic distinctione opus est: quo
 pereunte ut formâ, conceditur: quo pere-
 unte ut conditione necessariò requisita, ne-
 gatur, alias & ego dicam, ablato capite pe-
 rit animal, sed nemo dicet caput esse ani-
 mam, & cum anima exigat talem, vel ta-
 lem temperiem ex qua consurgit hæc vel
 illa affectio, hinc appareat responsio ad ar-
 gumenta Galenica in principio adducta.

Et

1. *tex. 2.* Et sanè Aristoteles clarè docet animam
 2. *tex. 4.* esse substantiam in libris de anima *necessæ est*
Text. 5. ergò *animam substantiam esse sicut formam*:
Text. 8. substantia autem actus, hujusmodi igitur
 corporis actus: & alibi. Universaliter igitur
 dictū est quid sit anima, substantia enim est,
 & in multis aliis locis, & clarè Philosoph. de
Tratt. 1. Prædicamentis, dicit substantiam esse, quæ
cap. 2. propriè & principaliter, & maximè dicitur,
 quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neq;
 in subjecto aliquo est: secundas verò sub-
 stantias dici species, in quibus eæ quæ, prin-
 cipaliter substantiæ dicuntur, insunt. Ex
 quibus palam constat animam substantiam
 esse. Sed adhuc evidenter demonstrari po-
 test quandoquidem forma substantialis in
 hoc differt à forma accidentalī, quod ablatâ
 primâ aufertur nomen & definitio rei, ab-
 latâ verò animâ aufertur nomen & defini-
 1. *De a-tio animati*, & aufertur movere se ipsum,
nima. quod est ratio animati, quandoquidem de-
 3. *Physi*. structa formâ accidentalī fræni non destrui-
 tur Materia ferri, & verum semper est dice-
 re materiam illam esse ferrum, non vero ab-
 latâ animâ verum est dicere adhuc esse ani-
 3. *quest.* mal; & Javellus in lib. de anima, ait ani-
 2. *De a-matum ab inanimato differre per se & es-*
nima fentialiter per animam, & hoc concordat
Tex. 13. cum Philosopho ex superiorius dictis, qui et-
 iam discriminem inter animatum, & inanime
 statuit solummodo esse ipsum vivere. Ergò
 ani-

anima, substantia est. Ità Albertus Magnus *i. Tex.*
 de anima, vbi docet animam secundū suam *43.*
 Essentiam & substantiam residere in solo
 membro præcipuo, quod ait esse cor: sed de *Cap. 5.*
 hac re alibi. Ità Jacob Zabarella de partitio-
 ne animæ, vocat animæ substantiam qua-
 tenus est forma. Fernelius de abditis rerum *Cap. 5.*
 causis, & ita communiter omnes: conclu-*in fine.*
 damus cum ipso Philosopho de anima, vbi
 docet eam esse naturam & substantiam :
 quem locum interpretans Simplicius, dicit
 à Philosopho appellari substantiam & na-
 turam , quia omnis anima substantia est:
 quoniam vita anima est , & anima substan-
 tia : quoniam est ipsum quoque animal: id
 autem substantia est , ita ut ante ipsum a-
 nimal , vita quoque sit ipsa substantia , per
 quam, & qua ipsum animal determinatum
 est; nam tanquam animal substantia est , &
 tanquam animal contrariorum suscipien-
 dorum vim habet , quod sanè clarè docet
 Aristotales loco supra citato de Prædica-
 mentis , vbi docet substantiam esse suscep-
 tivam contrariorum , & nemo est , qui ne-
 sciat animam esse susceptivam plurimo-
 rum, & actuum & habituum contrariorum,
 & vltierius de anima : *dictum est, quid sit a-* *2. Tex. 8.*
nima, substantia est, & prius, quoniam au- *Tex. 4.*
 tem est corpus hujusmodi , vitam enim ha-
 bens , non vtique erit corpus anima , non
 enim est eorum , quæ in subiecto corpus ,

magis autem sicut subjectum, & materia est: necesse est ergo animam substantiam esse sicut formam corporis naturalis potentiam vitam habentis.

LOCUBRATIO III.

De animæ definitione.

2. tex. 6. **D**efinit ergo Aristoteles de anima.
Anima est actus primus corporis naturalis potentiam vitam habentis.

Tex. 5. Advertendum est duplicem esse actum, primum nempè & secundum, quod expresse docet Philosophus dum comparat primum scientiæ, & secundum speculationi, verba illius sunt hæc: *hic autem dicitur dupliciter, alius quidem sicut scientia: alius autem sicut speculatio; manifestum ergo, quod si- cut scientia.* Ex eo enim, quia inest anima, & somnus & vigilia est, proportionale autem vigilia quidem speculationi, somnus autem habitu*rum non exenti in actum, per scientiam nempe ut est principium considerationis: per speculacionem vero, ut est actus secundus videlicet ut est principium operationum: hinc dicitur anima actus primus, id est, prin- cipium continens virtutem operandi; ope- ratio enim est quid egrediens ab actu illo primo, seu principio operandi, ideo primus scientiæ, secundus speculacioni comparatur: hæc autem est ut habitus transiens in actu respe-*

respectu principii potentis exire in actum
operandi scientificè , datur enim scienti-
ficus licet actu non vtatur scientia , quod
manifestè patet in scientifico dormiente :
vnde licet animal dormiens non exerceat
operationes animales , falsa est illatio , ergò
dum dormit non est animatum , vitam e-
nīm Philosophus nominat de anima , quod
per ipsum fit , nempe nutritio , augmenta-
tio & diminutio , & certum est , vt optimè
Javellus de anima , quòd ille sit actus pri-
mus in animalibus , qui præsupponitur om-
nibus operationibus animatorum : sed ita se
habet anima , inexistente enim illà , anima-
tum operatur , & eādem ablata , non ope-
ratur ; ergò anima est actus primus opera-
tionum , & vterius ; ergò est actus primus
cōporis Physici , seu organici , potentia v-i-
tam habentis in ordine ad actum secundum
respectu nempe operationum . Adverten-
dum vterius est , corpus organicum dici il-
lud , quod constat pluribus partibus , situ ,
fabricā , & complexione distinclis : partes
verò organicæ illæ sunt , quæ peculiari ali-
quo officio destinatæ sunt , atque necessario
diversa temperie sunt effectæ .

Et iterum , alia dicitur organizatio sub-
stantialis accidentalis altera : hæc est dum
pars totius alicuius habet certam figuram ,
situm & temperamentum , idest diversas
dispositiones & accidentia , quæ alia non

habet, vt oculus, nervus, manus, pes ha-
 bent diversam organizationem accidenta-
 lem? illa verò substantialis, nempe dum vna
 forma substantialis habens partes integrales
 quæ nempe est divisibilis (propt omnes a-
 nimas exceptâ rationali esse divisibiles o-
 stendemus) secundùm vnam partem in-
 format vnam partem materiæ, ibique exi-
 git talem figuram, temperamentum, verbi
 gratia, oculi, auris; secundùm verò aliam
 partem informat aliam partem materiæ &
 exigit aliam figuram & temperamentum,
 vt est caput, os, cor: quare his suppositis
 (excipe rationalem) omnes animæ divisi-
 biles habent partes etherogeneas, & juxta
 nonnullos, individualiter solummodo & se-
 cundùm perfectionem individui differen-
 tes, licet secundùm alios secundùm ratio-
 nem specificam & incompletam, ita vt pars
 animæ, quæ informat oculum bovis sit in-
 dividualiter distincta, aut etiam specie in-
 completa, à parte animæ, quæ informatos,
 vel carnem, & has à se invicem: dicunt ta-
 men posse vniuersitatem ad se invicem, quia istæ par-
 tes ordinantur vt se invicem perficiant,
 siquidem solum specie incompletâ diffe-
 rent, complent enim se, & continuativè uni-
 untur, atque adeo faciunt vnum per se, ex
 quo quæritur, an detur similis organizatio
 substantialis, sive secundùm individualem
 rationem, sive specificam incompletam.

Ego verò existimo partes animæ non differre substantialiter sive secundùm rationem specificam incompletam, sive secundùm rationem individualem substantiale, id est, non dari organizationem substantialem in viventibus, sed accidentalem duntaxat.

Aquinas quidem 1. parte, quæst. 76. art. 5. ad 3. ait partes animalis ut est oculus, manus, caro non sunt diversarum specierum, sed tantùm diversarum dispositiōnum, ex quo eruitur, quòd non tantùm specificè, sed nec individualiter quidem secundùm substantiam differant, sed solummodo accidentaliter.

Verùm quia præcipuum fundamen-tum contrarium sentientium est, quia ex eo quòd in diversis suppositis diversæ operationes eliciantur, diversas argui formas; ergò pariter cum secundùm diversas partes diversæ dispositiones & operationes fiant, diversæ debent esse partes ac formæ, sic arguo: ex eo quod in diversis suppositis diversæ specie operationes, & temperamenta inveniantur arguuntur diversæ esse specie formæ; ergò pariter eo quòd in eo composto secundùm diversas partes diversæ elicantur operationes specie, & dispositio-nes, erunt diversæ specie partes formæ.

Sed probatur assertio, si different inter se partes animæ, different secundùm ra-

tionem specificam ; sed hoc modo differre non possunt ; ergò : major verò probatur , etherogeneitas animarum colligitur ex diversitate operationum & dispositionum ; ergò si temperamentum dispositionum , & operationes sunt specie diversæ argui debent partes animæ esse specie diversæ , & non tantum individualiter , siquidem terminus à quo specificatur è diversis specie.

Sed quid multis , desumamus argumentum ab anima rationali , quæ diversas operationes producit in capite , alias in corde , & in cerebro alias , & in diversis partibus diversas , imò diversas exigit dispositiones & temperiem , & tamen nullas habet partes etherogeneas , siquidem spiritualis est & indivisibilis ; ergò non bene arguitur ex eo , quòd aliqua anima habeat diversas operationes & accidentia in diversis partibus etherogeneitas ac diversitas partium in animalibus : sed nonne anima rationalis est productiva intellectionis & volitionis , & actuum diversorum , & tamen non propter hoc exigit diversas dispositiones ? Multa hic adducenda essent argumenta , quæ brevitätis causa prætereo , his ita præhabitatis nunc perpendendæ sunt omnes particulæ definitionis .

Definitio ergò animæ allata optima est , & ab omnibus recipitur . Explico : dicitur *actus* , quòd sonat loco generis conueniens

niens tam substantialibus , quam accidentalibus formis , actus verò dicit perfectionem , vnde cùm , vt supra dictum est , duplex sit actus primus , & secundus , & primus sumatur pro virtute productiva respectu actionis & effectus , & actus secundus accipiatur pro complemento alterius , & sub hac ratione dici potest genus ad esse completum , & ad perfectionem alterius substantialiem , vel accidentalem , quare dicitur actus primus quatenus contra distinguitur ab actu secundo , qui nil aliud est quam accidentia , quatenus formam substantialiem , vt principium radicale potentiarum & operationum vltimò substantialiter completivum præsupponit.

Dicitur vterius *corporis naturalis* , per quam particulam excluduntur corpora Mathematica & artificialia , & simul etiam ad declarandum animam non esse formam assistentem , vt paulò post ostendemus , sed constituentem & informantem .

Dicitur demùm *organici* , id est instrumentalis & habentis organa ad operandum , & ad obeunda varia vitæ munia , qualia instrumenta sunt oculus , nervus , caro , & per hoc excluduntur formæ elementorum , quæ organis & instrumentis carent .

Vltimòque dicitur *potentiâ vitam habentis* , quia non satis est , quævis organizatio ad hoc vt habeat potentiam ope-

randi , seu etherogeneitas partium , sed talis esse debet quæ sit sufficiens , & proximè constituat corpus potens ad exercendas operationes vitales , quare hic per vitam intelligitur vita in actu secundo , ut est nutritio , augmentatio , sensatio , motus processivus , intellectio , volitio , & sufficit , quod per actum primum dicamus solum principium operandi .

Quid verò numine corporis intelligatur , varij variè explicant , aliqui enim estimant esse materiam cum formis materialibus , has verò dari , nequaquam existimo . Alij verò intelligunt materiam informatam animâ , non simpliciter , sed secundum gradum corporis generici , quatenus videlicet anima informans materiam tribuit gradum corporis generici , propt viventis , animalis . Nonnulli , nomine corporis venire materiam primam affectam quantitate cum cæteris accidentibus , vel etiam pro sola materia , & sic dicitur homo componi ex anima & corpore , id est materia .

Communis sententia est , nomine corporis hic nihil intelligi aliud , quam compositum substantiale vivens propt includit materiam & animam non solum secundum gradus superiores , sed etiam ultimos , ita ut sensus sit , animam esse actum primum compositi viventis , id est , esse illud per quod ut per formam constituitur compositum vivens ,

vivens , & ideo rectè dicunt , qui dicunt definitionem hanc tradi per causam formalem , quatenus anima dicitur actus corporis , hoc est , forma actualis compositi constituens illud , non aliter quam cùm dicitur , anima rationalis est forma hominis , albedo est actus seu forma albi , è ratione qua Aristoteles de anima lumen appellat actum perspicui : anima enim non dicitur actus corporis quomodo cunque , sed corporis naturalis , corpus verò naturale non constituitur per materiam solam , vel etiam cum accidentibus , quandoquidem corpus naturale est quid completum , & principium determinatum motū naturalis : sed nec materia sola , nec cum accidentibus est quid completum & principium determinatum motū naturalis , & quod ita intelligendum sit corpus , probatur ex ipso Philo-
 sopho de anima , vbi docet , quòd anima sit pars corporis , & alio loco docet , quòd anima corpus non sit , sed aliquid corporis ; er-
 gò anima est constituens corpus : imò alio loco docet , quod anima sit ratio hujusmodi corporis : & alibi , quòd illud , quod non habet animam , non sit corpus organicum , ex quibus autoritatibus dicimus ex mente Aristotelica animam esse actum constituentem corpus , etenim anima est actus primus corporis substantialis , esse verò actum primum corporis , est esse de conce-

2. tex.
69.2. tex. 9.
tex. 26.
tex. 8.
tex. 10.

ptu intrinseco , tanquam principium radi-
cale , quod non habet forma respectu ma-
teriae.

Et licet Philosophus tex. 10. supra ci-
tato dicat , quòd anima & corpus sint ani-
mal , non per hoc negandum est , quod ani-
ma sit constituens corpus ; nam dixit ani-
mag & corpus esse animal , vt ostenderet
non quocunque corpus esse animal , sed
corpus animatum per animam , vnde ma-
joris explicationis gratià ponit animam ad
corpus , non vt quid contra distinctum à
corpore organico .

Et si quis dixerit animam rationalem
posse separatam existere , & proinde non esse
constitutivam corporis : respondemus e-
nim etiam in statu separationis habere apti-
tudinem ad constituendum corpus & com-
positum , licet in actu secundo non actuet .

Et finaliter diluendum est argumen-
tum , quod aliqui putant non esse solubile ,
dicunt enim ; anima est actus corporis po-
tentia vitam habentis ; sed si corpus consti-
tueretur per animam , non haberet in po-
tentia vitam , sed actu ; ergò anima non est
constituens corpus . Hoc argumentum non
est magni roboris , vt existimatur , vnicà e-
nim distinctione solvitur , quòd ergò ad mi-
norem verum est , quòd non haberet vitam
in potentia in actu primo , quia jam com-
positum est vivens ; quòd verò ad actuū se-
cundū ,

cundum, vtique haberet vitam in potentia, nam vita in actu secundo per actus vitales vegetationis, sensationis, intellectio-
nis, & in ordine ad hanc vitam corpus per animam constitutum est in potentia pro-
xima, non per ordinem ad vitam in actu primo, ita sentit etiam D Thomas in quæ-
stione de anima art. 15. & 1. part. quæst. 76.
art. 4. ad primum his verbis, dicendum, quod Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis Physici, Organicum
potentiam vitam habentis, & quod talis poten-
tia non abicit animam, unde manifestum est,
quod in eo, cuius dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi, non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia lu-
cidum est per lucem, & similiter dicitur,
quod anima est actus corporis, quia per ani-
mam, & est corpus, & est organicum, & est potentiam vitam habens & tandem confirma-
tur hæc assertio testimonio Philosophi de ani-
ma vbi habet: Non est enim, quod abjecit animam, potentiam existens ut vivat, sed quod
habet, semen autem & fructus potentiam hujus-
modi corpus est.

Optima pariter est definitio animæ tradita ab Aristotele in ijsdem de anima li-
bris, vbi; anima autem id est, quo vivimus, & 2. Text.
sentimus, & movemur, & intelligimus pri- 25.
mo.

Dicitur primò id quo, & non id quod, ut ostendat Philosophus illam esse rationem formalem, & principium intrinsecum rei viventis, & sentientis, seu non esse actum afferentem, sed informantem, & constituentem.

Dicitur secundò *quo vivimus*, quā particula comprehenduntur solum operationes animæ vegetativæ, nam aliæ sequentes particulæ forent frustraneæ.

Tertiò dicitur *sentimus*, ut exprimatur vita sensitiva animalium.

Dicitur *movemur*, scilicet motu progressivo.

Dicitur *intelligimus*, ut exprimatur ratio vitæ propria hominis. Additur verò primò, quæ particula ponit differentiam inter animam & ejus potentias, & habitus, reliquaque accidentia, seu actus ipsos vegetandi, sentiendi, intelligendi, qui non constituunt primò vivens, sed oriuntur à principio primo scilicet anima.

Videtur Philosophus per hanc definitionem quasi per demonstrationem ostendere differentiam animati ab inanimato; animatum enim differt ab illo, quo primò vivimus, sentimus, movemur & intelligimus; ergo anima est id quo primo vivimus.

Sed sciendum est particulam, & in definitione non accipi simpliciter copulativè, ita ut vbi cunque est anima ibi debeat esse vita

vita vegetativa , sensitiva , & progressiva , ac intellectiva simul ; Sicut neque disjunctivè sumitur simpliciter , quasi quævis anima habeat vnam tantum operationem vitæ , & non possit habere plures simul , sed accipienda est partim copulativè , partim disjunctivè , ita ut sensus sit , quod ubique sunt omnes , vel aliquæ , vel certè una ex his operationibus , sit anima .

Hæc ergo secunda definitio tradita est à posteriori , nempè per operationes vitales præcisè sumptas , tamquam per effectus , per quam , tamquam per rationem cognoscendi probat Philosophus primam ; sed aliquo modo dici potest , quod & hæc videantur traddita à priori , quatenus nempè operationes considerantur , ut finis corporis vivi organici , quod videtur velle Philosophus de anima , declarans se velle aliam definitionem continentem causam prioris traddere , vnde necessarium erat reddere rationem , quare anima sit actus corporis organici : dixi aliquo modo , & præterea corporis organici , nam cum anima sit substantia , & quidem forma nobilissima , licet habeat multas operationes sibi peculiares & proprias , propriè tamen , ac primò & per se non ordinatur ad illas , sed ad constitendum compositum animatum , quod deinde ratione suæ perfectionis potens est operari : quia tamen author naturæ , & ipsa natura .


2. Text.
12.

tura intendit compositum producere ut operetur, operationes possunt dici finis secundarius animæ, seu finis existentiaæ, non essentiaæ animæ.

Restat adhuc inquirendum vtrum spectet ad Physicum, vel ad Metaphysicum tractare de anima. Ratio verò dubitandi est, quia anima est quid abstractum à materia, loquor de rationali, & hoc spectat ad primam Philosophiam, vt palam est ex plurimis locis Philosophi, verùm dico sub ratione sub qua tractavit Aristoteles, quām maximè spectare ad Philosophum naturalem, nam investigans definitionem animæ, non se adstrinxit ad aliquem gradum particularem animæ, sed universaliter tra-

2. text. 7. Etavit de anima, vt expresse docet, si autem commune in omni anima oportet dicere, erit utique primus actus corporis naturalis, instrumentalis; ergò fatetur se tractaturum de anima tanquam de forma corporis naturalis, de hac verò non spectat ad alium per tractare, quām ad Philosophum naturalem; ergò ad eundem de anima: verum ita esse expresse declarat in libris de anima vbi ha-

3. text. 25. bet: naturalis est considerare de anima aut omni, aut huiusmodi.



LUCUBRATIO IV.

*An anima sit actus informans, an
assistens.*

Antequam procedamus ad declarandum statum quæstionis, sunt aliqua prænotanda, sciendumque actum assistentem dici illum, qui non habet Physicam cum re cui assistit vunionem, sed tantum propinquitatem in ordine ad locum: sic Nauclerus navi, Auriga currui, & ita in communi sententia intelligentiæ assistunt orbibus cælestibus. Actus verò informans est, qui vnitur suæ comparti, seu subiecto; vt albedo parieti. Ex quo sequitur quod forma duplex sit; vna materiam informans & dans esse specificum, & rem constituenta tanquam differentia adjecta generi, de qua forma Philosophus egit in primo libro Physicæ auscultationis tanquam de tertio principio rerum naturalium, & eandem in secundo libro vocavit naturam; cujusque enim rei natura dicitur illa sola forma, quæ informat materiam habentem potentiam ad esse, & in statuta specie collocat. Altera est forma quæ non dat esse, sed ipsi rei constitutæ, & habenti esse specificum supervenit tanquam præstantius quoddam, & dat solùm operationem, ad quam res illa quidem potestatem habet naturalem, sed eam ede-

edere propriis viribus non potest, ideo eget ope alicuius nobilioris, quod ejus naturam & conditionem excedat: hanc assistentem appellamus, & manifestè exemplificatur per navim & nautam: navis enim ex lignis ita factis sumit formam informantem, ut sic navis sit, aliàs non esset navis, nam per illam lignorum compositionem ita constitutam, navis in specie constituitur: verum navi taliter constitutæ supervenit nauta, qui non dat illi ut sit navis, jam enim est, sed dat quoddam esse eminentius, & actum navigandi, qui navis conditionem excedit, quia navis secundùm se non habet nisi aptitudinem ad navigationem, actum autem navigandi à se ipsa non habet, sed à quodam superveniente, illudque nautam vocamus. Jam ergò quomodo se habeat anima respectu corporis primo nempè, vel secundo modo, videndum est.

Averroës quidem acriter tuetur assistentiam & non informationem, multisq; assertionem suam conatur comprobare authoritatibus Aristotelis, quas singulas resolvere decet, antequam aliquid certi enuncietur. Et maximè videtur cum omnibus suis assēclis fundari ex libris Aristotelicis de anima, vbi ait; non esse manifestum an anima sit informativè, an tantum assistitivè ut nauta navi, ex quo desumpta est occasio præclarissimorum ingeniorum defati-

2. Text.

xi.

gan-

gandi ingenia , etenim omnes Commen-
tistæ aut dixerunt esse solummodò assisten-
tem , aut certè illam assistentiam reduci ad
supremam animam , quam Deum intelle-
xerunt , quatenus vtitur corpore , idemque
regit , vt nauta navim ; aliamque esse for-
mam in homine subordinatam , qua con-
stituitur homo , vt homo . Ita etiam sensit
Themistius in libris de anima : vbi ait , in
tellectum patientem vnum esse numero in
tota humana specie , ideo præter hunc po-
suit in homine aliam humanam animam
multiplicatam per quam homo sit homo ,
eamque imaginativam humanam nuncu-
pavit , eandemque dixit habere potentiam
recipiendi intellectum tanquam supremam
hominis perfectionem . Ita pariter sensit
Joannes Grammaticus in Præfatione in se-
cundūm librum de anima in declaratione
primi contextū ejusdem libri : vbi ait , a-
nimam rationalem non esse actum corporis
secundūm substantiam , sed solūm secun-
dūm operationem . Quare Plotinus libro
Eneadis videtur reprehendere Aristotelem ,
eo quod in libris de anima dixerit animam
esse sicut acumen in securi , & ita pariter
plerumque sentiunt , qui intellectum agen-
tem dicunt esse substantiam separatam , rea-
literque distinctam ab intellectu passibili :
contrarium tamen tenent Latini ferè om-
nes seqvuti Philosophum . Verūm quia v-

^{3. Con-}
^{tex. 20.}

^{1. Cap.}

^{4.5.}

^{2. tex. 8.}

traque sententia sat validis nititur funda-
mentis, vt magis veritas elucescat, hinc
inde rimanda, perscrutandaque sunt, vt
tandem sequentes mentem Aristotelicam,
magis veritas resulgeat. Commentistæ ita-
que omnes seqvuti Magistrum Averroëm
tuentur solum regimen seu assistentiam, vt
suprà dictum est, dicunt enim juxta jam
explicata superiùs animam rationalem non
esse veram formam hominis quæ tribuat
esse homini, seu quæ constituat hominem,
vt hominem; Sed esse actum quandam ex-
trinsecum assistentem, qui assistendo regit
& gubernat, non aliter quam Intelligentiæ
assistunt orbi cœlesti, illumque circulariter

8. Com. regunt, & movent, ait enim Averroës de
8. anima, nomen actus (loquendo de anima
respectu vegetativæ, & sensitivæ) dici
quidem vñivocè, quoniam sunt formæ in-
formantes, ast si loquamur de anima ratio-
nali, id æquivocè intelligendum esse: imò
in ijsdem de anima libris afferit cogitati-
vam esse formam hominis, qua homo est;
Verùm quia hæc sententia quam maximè
diffona est, & deformis menti Philosophicæ,
quam tamen ipse Averroës tueri profitetur,
ideò:

2. Tex. Aristoteles in libris de anima enum-
18. rans operationes animalis ait, solùm per vi-
vere distingui animatum ab inanimato, sub-
ditque, *nunc autem in tantum dictum sit so-*
lum

lūm, quod anima est horum, quæ dicta sunt,
 principium: & his definita est, vegetativo,
 sensitivo, cogitativo motu: actum autem &
 principium apud eundem idem esse palam
 est, & cum eadem definitione afferat defi-
 nitam esse animam in communi, vegeta-
 tivam, sensitivam, & cogitativam, quam
 pro rationali accipit: nec verum est, quod a-
 liqui Commentistæ ad effugiendas quas-
 dam difficultates, cogitativam coincidere
 cum phantasia afferunt, tale enim figura-
 mentum nullibi, quod sciam, in libris Aristote-
 licis inveniendum est: etenim si ipsi fuissest
 institutum, tueri Philosophum, respicien-
 dum illi fuissest ad alium ejus locum, ubi
 postquam recensuisset omnia, quæ insunt
 animantibus, tandem concludit his verbis,
 videtur enim in paciente & disposito activo-
 rum inesse actus, anima autem id est, quo vi-
 vimus & sentimus, & movemur & intelligi-
 mus primo, anima ratio quedam erit, & for-
 ma, sed non ut materia & subjectum, quid
 enim clarius aut dici, aut excogitari potuit?
 excludit enim animam à ratione materiæ
 & subjecti, quoniam juxta Averroëm ha-
 beret quasi rationem materiæ & subjecti, &
 esset in sola potentia, quoniam nisi move-
 retur ab actu assistente, mens semper otio-
 sa foret, & nisi quasi impulsa non move-
 ret, sed neque moveretur; formam autem
 nuncupat, & tales quidem, quæ per se

ipsam operetur, vt habetur in libris de ani-
 ma, vbi animam appellat principium ope-
 rationum, est autem materia quidem, inquit,
 2.Tex.
 18. potentia, forma autem actus, & dilucidans
 2.tex.2. hanc quæstionem, necessè est ergò, ait, ani-
 Tex.4. mam substantiam esse, sicut formam corporis
 Tex.5. naturalis vitam potentia habentis & alibi
 Substantia autem actus, hujusmodi igitur cor-
 poris actus, ecce quomodo vocat actum cor-
 poris intrinsecum, non tantùm quoad a-
 ctum secundum, sed etiam quoad primum,
 qui constituit quod quid est, & eodem lo-
 co comparat, vt antea diximus, istum a-
 ctum scientiæ, & speculationi; si enim in-
 tellexisset soluñmodò actum secundum, vel,
 prout adversarij interpretantur, actum assi-
 stentem, frustraneè comparasset scientiæ,
 quia non foret actus nisi in operando, scien-
 tia verò est talis, licet non deducatur de po-
 tentia ad actum, quod patet de scientifico
 dormiente, speculari ergò est operari, &
 scire, quod nil aliud involuit in suo conce-
 ptu formalí, quàm habere principia scien-
 di, licet non vtatur actu illis: Unde cùm
 scientificus habeat internum principium
 operandi scientificè, nulla videtur necessi-
 tas statuendi alium motorem assistentem.

Verùm ex eodem Aristotele alia vi-
 detur difficultas, nam videtur dubius scri-
 bens de anima, an ea sit forma dans esse rei
 2 tex.8. informatæ, vel tantùm assistens, vel actus
 & 9. im-

impellens ad operandum, nam paulò post *Tex. II* dubitanter ait: *immanifestum est si sit corporis actus anima, sicut nauta navis*: ex quo loco arguenda esset aliqua contradictione: & magis corroboratur difficultas, si alius locus inspiciatur vbi ait: *Si autem commune aliquid in omni anima oportet dicere, erit utique primus actus corporis naturalis, instrumentalis: unde non oportet querere si unum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omnino uniuscuiusque materiam, & id, cuius materia. Unum enim, & esse cum multipliciter dicatur, quod propriè est, actus est*: Ecce quomodo ex anima & corpore constituit vnum, si verò intellexisset actum tantum assistentem, cum vera ratione non potuisset dicere ex his duobus constitui vnum, nam ex auriga & curru, nec ex nauta & navicula constituitur vnum compositum vniuersale, sed fortè æquivocè tantum.

Huic igitur dubitationi respondeo nunquam Aristotelem sibi contradixisse, imò semper uniformiter loquutum fuisse, etenim expressè asseruit animam esse formam informantem, & determinantem esse rei cuius est forma, vt dictum est: Verum quia Plato tenuit animam vniuersi corpori, vt vnitur motor mobili, ideo dixit immanifestum esse modum quo actuat corpus, an nempè effectivè an motivè, vt videbatur

Platoni , an formaliter & perfectivè , ideoq;
nulla contradic̄tio.

Dicunt verò aliqui , superius Philo-
phi dictum non intelligi de anima quatenus
sub se continet vegetativam & sensitivam ,
& intellectivam , scilicet utrum omnis ani-
ma sit actus primus , quia certum est vege-
tativam & sensitivam esse veram formam
substantialem determinantem & dantem
esse , de rationali verò immanifestum esse ;
nam cùm priores sint organicæ , & , vt tales ,
inseparabiles à corpore , ideo debent dici
vera forma informans , secus dicendum esse
de mente humana , quæ , cùm non exerceat
operationes per organa , ideo non esse ma-
nifestum an sit principium essendi , vel so-
lùm operandi , vnde explicant textum di-
centes ; de anima tali vegetativa & sensitiva
manifestum esse , esse formam informantem ,
secus verò si intelligatur de rationali , quæ
nullis indiget organis in operando : Hæc
verò interpretatio manca est , nec ullo mo-
do conformis est opinioni Aristotelicæ ,
quoniam manifestè & expressè de anima
loco sàpè citato inquit : *Si enim aliquid com-
mune in omni anima oportet dicere , erit uti-
que primus actus corporis naturalis , & instru-
mentalibus : cùm nullam excipiat , etiam ra-
tionalem includit , omnis enim anima est
genus , quod etiam rationalem ut speciem
continet : & sanè si supponatur , ut pro certo
tene-*

tenemus , vnicum solum principium animæ reperiri in homine , rationalemque eminenter seu virtualiter in se continere alios duos gradus , corruit dubitatio , nam si vnicum principium , ergò falsa esset Philosophi definitio de anima , siquidem definiret duos tantum grados , prætermisso nobiliori : quòd verò de anima genericè loquutus est , patet ex eo , quia Priscos de anima scribentes reprehendit , quia mentionem fecerunt solummodo de anima humana , nec vniuersè omnem animam complexi sunt , vnde & stirpes animatas esse ostendit.

Potest etiam aliter interpretari textus dicendo : Philosophum volentem tractare de Anima juxta mentem propriam , redigisse prius ad genus animæ omnes Animæ partes , ne fortè tractatio mutila foret , nullam igitur Animam ab antiquis consideratam ipse exclusit , imò potius adjecit stirpium animam , ut animæ consideratio vniuersaliter procederet , omnesque complectetur , vndè rectè afferit : *Non hujuscemodi corporis ipsum quiderat esse , & ratio anima , sed naturalis hujuscemodi habentis in se ipso principium motus & quietis :* & adducit ad formam securis , quia ablata forma securis non remanet securis vniuocè . Quare cùm animam diversis in locis maximè libro secundo , vocaverit actum primum , qui apud ipsum nil aliud est , quàm principium quo

1. Texd

95

2. tex. 3.

2. Tex.
36.

vivimus , sentimus , movemur , & intelli-
gimus , neutquam formæ afflenti hoc
competere potest , nemo enim ignorat , quòd
per mentem essentialiter à brutis distingui-
mūr , nec quempiam latet , formam afflentem
hanc distinctionem non posse patrare :
dicant enim Commentistæ , an detur aliqua
distinctio navis à navi per nautam ? non
equidem nisi per formam propriam navis ;
ergò forma est , quod quid erat esse , & vi-
vere viventibus est esse , quòd contingere
nequit , nisi ab interno principio , quod est
anima . Unde Philosophus de anima : *est*
autem anima viventis corporis causa & prin-
cipium : quod certè explicit quomodo li-
bet , ex his verbis non poterunt aliam ex-
piscari formam , quām informantem ; ete-
nim ex adventu animæ fit vivens & homo ,
ex recessu , interitus . Neque à paritate
quisquam dicere poterit , quòd ex adven-
tu nautæ fiat navis , aut ex recessu pereat ,
quandoquidem si anima esset tantum affi-
stens , & non informans corpus , non perti-
neret ad naturam animæ , sicut navis ad na-
turam nautæ : ergò tota hominis natura in
anima sola consisteret , & sic homo esset in-
corporeus . Ex quibus omniibus patet ani-
mam esse formam informantem tribuen-
temque esse rei informatæ , vndè rectè A-
ristoteles dixit ; immanifestum esse , quia
volens definire ipsam dicit non esse ma-
nife-

nifestum , nempè ratione demonstrativa ,
quam inferiùs parabat referre , siquidem de-
finitio non demonstrat ipsam esse , sed in-
feriùs demonstrat completè , dum dicit esse
principium vitæ , sensus , motus , intelle-
ctionis.

Agere enim , & esse prædictorum prin-
cipium , internæ & essentialis formæ est :
Quare absolutè dicendum est , omnem a-
nimam vegetantem , & sentientem esse af-
fistentem , vel si has informantes , & ratio-
nalem hujusmodi admittendam esse . Cer-
tum enim est , quòd ea , quæ in primo libro
de anima investigativè tradidit , in tertio
tamen sine dubitatione , id quod illic propo-
suit , resolvit .

Deveniamus tandem ad argumenta
adversariorum , quæ resolventur in sequen-
ti Lucubratione .

LUCUBRATIO V.

Resolvuntur contrariae objectio- nes.

VIdentur Commentistæ assumere ar-
gumentum pro assistentia animæ ^{Tex.} _{92.}
ex Philosopho de anima vbi dicit ,
ne fingi quidem posse , quam corporis par-
tem occupet intellectus ; ergò vult eum
esse abstractum à materia : ergò non esse
formam corporis .

Respondemus , Aristotelem per hoc non negare animam extendi ad exten-
sionem corporis , vt inferius demonstran-
dum est , sed solummodo intellectum non
esse organicum , & propterea illa consequen-
tia , ergo non dat esse homini , falsa est.

2. Tex. ix. Ulterius nituntur authoritate ejus-
dem de anima inquietis aliquam anima
partem nullius esse corporis actum : quod non
potest verificari nisi de rationali , subdit
enim eam esse actum corporis , vt nauta est
actus navis : Sed & hic textus parum fa-
cilit negotij , si secundum rectum sensum
explicetur ; Aristoteles enim tria declarat
inibi ; nempe manifestum esse vel omnem
animam , vel aliquas ejus partes esse inse-
parabiles à corpore , partes autem , vt ex plu-
rimis aliis locis videre est , nuncupat ipsos
animarum gradus , quemadmodum patet
in primis verbis tertij libri , & orditur de
parte animæ , qua & cognoscit anima , &
sapit , totam vero animam appellat collec-
tionem omnium graduum in homine ,
quæ per partem vegetantem dicitur nutri-
re , augere , & generare sibi simile : per sen-
tientem , qua dicitur sentire : & per ratio-
nalem contemplari & sapere , & adducens
rationem , ne quis in admirationem inci-
dat , quia , inquit , sunt actus partium cor-
poris .

Secundò progreditur non esse prohi-
bitum

bitum afferere , aliquas partes esse separabiles , tanquam nullius corporis actus .

Tertiò manifestum adhuc non esse , an anima sit actus corporis , ut nauta navis , & certè textus iste nec officit , nec proficit : dicant Commentistæ quomodo illum extendant ad instar ceræ : dico enim Philosophum considerare hic animam ut principium operationis , & speculari actum secundum & non primum , alias sine dubio sibimet ipsi contradixisset , & falsa foret definitio prima & communissima animæ , profitetur enim se velle definire animam , sub qua definitione reducantur omnes gradus animarum , si daretur ergo aliquis gradus , qui non esset actus primus corporis , ex hoc ipso emanaret falsitas definitionis : interpretandus ergo est textus , dicendum que inseparabiles esse aliquas partes animæ à corpore , esse nempè organicas , nec ullo modo posse operari absque illis instrumentis corporeis ; quomodo enim fieret visio absque instrumento oculi , seu organo ut instrumento ? nec auditus sine organo auris à natura ad id dicato ? Et quia datur aliquis gradus animæ , qui in operando nullo modo dependet ab organis corporeis , hinc dicit dari aliquas partes , seu nihil prohibere dari similes partes separabiles , tanquam nullius corporis actus , nempè secundus , cùm hujusmodi partes valeant suas prias

prias exercere operationes absque organo:

Unde semper uniformiter loquitur , nam

Tex. 92. alio loco inquit : fangi non posse quam par-
tem corporis occupet intellectus , volens
quasi declarare , quod prius in contextu su-
periùs citato pronunciaverat , & hinc cum
anima nullius corporis (de intellectu lo-
quor) sit actus secundus , separabilis est:
sed non quadrat consequentia ; ergo non
est actus primus : aliud enim est esse actum
corporis in essendo , & aliud in operando ,
actus enim in essendo nil importat nisi prin-
cipium vitæ , & actus in operando est con-
sequens ipsum principium vitæ , seu illud
est potentia , hic verò actus : quo quæso
organo vtitur anima dum se ipsam contem-
platur & intelligit , vt habetur apud Philo-
sophum de anima ? vnde eodem libro , non
esse rationabile , inquit , ipsum intellectum
esse mixtum cum corpore , id est habere or-
ganum , quoniam vt ibi annuit , fieret ca-
lidus aut frigidus , & ei instrumentum ali-
quod esset , sicut sensitivo , modo verò

3. tex. 8. nullum est ; vnde manifestum erat aliquas

Tex. 6. partes animæ esse inseparabiles à corpore in
operando , & alias eodem etiam modo esse
separabiles : sed vtrum ista Separabilitas , &
inseparabilitas , sit prout se habet nauta re-
spectu navis , manifestum adhuc non erat ,
& si rectè consideretur textus , facile est ad-
vertere inseparabilitatem non esse aliundè ,
nisi

nisi respectu organorum quibus anima vtitur vt instrumentis , & sic operando mediantibus illis non potest habere propriam operationem , non operando verò per organa operatur à se ipsa , & taliter dicitur operatio propria : cùm verò forma ita organo addicta sit , vt sine illo operari non posset , si à corpore separaretur , neutiquam operaretur ; quis enim ambularet sine pedibus ? quomodo quis videret sine oculo ? quare organum dicitur prohibens , quo minus talis facultas animæ separabilis sit , & hac de causa subjungit ; at quaslibet nihil prohibet separari , quia superius dixerat , intellectum nullam occupare corporis partem , ideo cum nullum habeat organum prohibens , separabilis est ; non enim absolute dicit aliquas partes animæ esse separabiles , sed quæ non prohibeantur esse separabiles ; imò reddit rationem ; quia nullius corporis sunt actus , id est , cùm nullius organi sint actus .

Verùm non contenti hac responfione seu interpretatione , fortè ulterius vrgere possent , Aristotelem comparativè loqui de anima ad corpus & nauta ad navim : dico non sine ratione adductam fuisse illam comparationem , etenim licet anima sit forma informans , determinans ac constitutens speciem , nihilominus tamen non claudicat illa comparatio , siquidem regit cor-

corpus, quoad operationes saltem organicas, vt nauta regit navim; nauta enim non dat esse navi, & sub hac consideratione ab illa abjunctus est: quatenus verò regit, & movet navim, abjunctus ab illa non est, & sub hac formalitate dico Philosophum comparativè loquutum esse, anima certè similis est nautæ quatenus regit & movet, non verò quatenus informat: ità etiam sensisse eundem Aristotelem patet in libris de

- 2. Tex.* anima: *omnia naturalia corpora & anima instrumenta sunt*: ecce quomodo præter actum primum informantem assignat etiam actū secundūm seu assistentiam modo supra exposito; imò alibi expressè docet, artem vti instrumentis, animam autem corpore. Ità etiam Simplicius fidelissimus interpres Aristotelicus, suprà textum II. & certè, inquit, hæc videtur mens Philosophi, quod expressè patet, dum fit comparatio vel assimilatio animæ cum nauta, & corporis cum navi,
- 3. Tex.* nam ut nauta movetur ait enim animam
Tex. 28. movere corpus animalis, & ità animal di-
 vidi in partem moventem & partem mo-
 tam, prout nautæ contingit, vnde ratione
 hujus dicitur à ipsis moveri, quod non
 esse contrà mentem Stagyritæ, videbimus
 suo loco.

2. Tex. Desumunt ulteriùs commentistæ a-
 liud argumentum pro sola assistentia animæ
 ex libris de anima ubi dicitur. Intellectum
 esse

esse aliud genus animæ, & ipsum solum posse separari, ex quo concludere videntur, non esse actum primum corporis, sed tantum secundum, seu assistentem. Ego certè ex hoc textu non levem immortalitatis animæ ex mente ipsius Philosophi desumam energiam; verùm cùm hujus loci non sit, procedamus ad dilutionem argumenti. Dico ergò, Philosophum in omnibus tribus de anima libris semper eam considerare ut formam corporis organici, & postquam recensuisset quæcunque ab ea promanant, aut ei accidere possunt, deveniendo ad intellectum, quatenus habet vim contemplandi consideratâ ejus essentiâ, quasi admirabundus dicit, videri quasi aliud genus animæ, non quòd absolute id afferat, sed videtur quasi comparativè, habito respectu ad animam consideratam sub ratione formæ actuantis corpus organizatum: vndè rectè ^{Tex.} dixit; si datur aliqua passio propria animæ ^{13.} videtur separabilis, si secus, non: & alibi; ^{Tex. 5.} non vnicâ methodo posse investigari naturâ animæ, quoniam diversa est, ideo diversa methodo: hinc mirum non est, si in hoc tertio libro, recedens parum ab instituto, & à consideratione animæ, tanquam formæ corporis humani, fistendo solummodo in formalitate mentis contemplatricis dgressus quasi, afferuerit videri aliud genus animæ, siquidem separabilis est, & immor-

talis, ex quibus non concluditur, illam non esse actum primum dantem esse, & si ne dubio hæc consequentia subsisteret, si eò loci fuisset considerata anima, vt forma corporis.

*s. Cap.
x.*

Aliam autoritatem Philosophi adducunt de partibus animalium vbi inquit: *solus homo erectus est omnino, quoniam ejus natura & substantia divina est, officium autem divini est sapere & intelligere: ergo dicunt anima rationalis est forma Divina & à materia abiecta.* Pro responsione, negatur consequentia: siquidem sèpè Aristoteles ly Divinum vocat id, quod admirandum est, aut ens aliquod, quod in operando non servat methodum & normam ordinariam, ita ut non litteraliter interpretandus sit, sed in mystico sensu. Videatur in Physicis, vbi omnem formam naturalem vocat divinam & optimam, & de ortu animalium, quamlibet facultatem animæ participare, inquit, Divino quodam corpore, præter illa, quæ elementa appellantur. Dicant quæso Commentistæ, an valeat consequentia, quælibet facultas animæ ab Aristotele denominatur tanquam quid divinum; ergo quælibet facultas animæ est abiecta à materia: quare ulterius respondetur, moris esse ab eo vocari aliquando quid divinum, habito respectu ad ignobiliora, vt fecit in loco supra citato Physico, ipse pariter omnem

s. Tex.

s. r.

Cap. 3.

omnem animæ facultatem appellat divinam , respectu elementorum , & animâ carentium : hic etiam de ortu animalium , formam appellare solet Divinam respectu materiæ , à qua appetitur ; cum igitur hæc appellatio maximè homini conveniat , qui , si comparetur ad alia certe , propius accedit ad D E U M , quid mirum , si dixit , substantiam hominis Divinam , & officium Divini esse sapere & intelligere : verum utique foret argumentum , si nomen Divini importaret separationem à materia , quod falsum est , ut clare ostensum est.

Accedunt jam ad argumentum de-
sumptum ab intellectu agente , quod existi-
mant non esse solubile , & dicunt : illum
consensu omnium esse abjunctionem à ma-
teria , vel , ut appellant , formam abjun-
ctam à materia , ideo dicunt hunc nullo
modo posse vñiri materiæ , quia est quid ab-
stractum ; ergo est forma tantum assistens ,
& non informans .

Verum an intellectus agens sit reali-
ter divisus ab intellectu possibili , & an po-
tiùs sit Intelligentia , vel ipse Deus , hic uon
est disputandum , dabitur enim inferius oc-
casio perquirendi , vbi de hac re ex professo
tractabimus .

Respondendum igitur est , ly immi- tex. 4.
xtum in libris de anima ab Aristotele su-
mi respectu operationum , & non respectu

sui proprij esse ; nam si consideretur secundum esse, cum sit forma, necessè est esse commixtum, forma etenim aliquod corpus constituens, necessè est, ut insit omnibus partibus materiæ, in qua inest, & sub hac ratione intellectus est commixtus, non verà quidem mixtione, qualis est corporis ad corpus, siquidem mixtionis vocabulo intelligimus nîl aliud, quam constitutionem speciei : vndè ipse Aristoteles in principio secundi de anima, consideravit intellectum secundum propriam essentiam, inquit enim, universaliter omnem animam esse actum primum corporis.

In tertio vero libro eundem respectu operationis, respectu cuius pariter duplexer speculari potest; vel quatenus utitur corpore ad operandum, vel propter recipit objecta, & utroque modo dicimus immixtum & abiectum à materia: primo quidem modo ex ipso Philosopho de anima, qui probaturus immixtionem intellectus, ait: si commixtus esset ad hoc ut operaretur, deberet uti aliquo organo, nullum vero habet: & pariter eodem modo, quod nec in recipiendo sit commixtus, videtur argumentari tali pacto; si in recipiendo objectum esset cominixtus, extaret utique aliquod organum in humano corpore, deberetque dari aliqua certa & determinata temperatura ad recipiendum, ac statuta aliqua corporis

poris pars, in qua operatio fieret, & hoc modo intellectus esset organicus; organi verò sensus officium aliud non est, quam recipere species, & cùm nullum extet tale organum pro recipiendis speciebus, restat dicendum, intellectum in operando non esse cum corpore commixtum; vnde infert animam humanam esse locum specierum; locus enim recipit locatum. Et veterius dicit, benè sentire eos, qui dicunt, esse locum formarum, de anima loco supra citato, & hæc videtur differentia inter animam sensitivam, & rationalem in operando, quod hæc recipiat objecta, non verò prima, quæ immediate non recipit objecta sensitiva, sed medio organo animato; imò ipsum organum est locus specierum, & cum intellectus nullo vtatur organo in recipiendis speciebus, ideo rectè superius dixit esse locum formarum seu specierum. His ita declaratis, facilis est responsio ad argumentum; licet idem esset intellectus agens cum paciente abjectus à materia in operando, non per hoc sequeretur, quod non sit forma informans, nam secundum propriam substantiam & essentiam informat corpus, & eo modo, quo supra dictum est, est commixtus, & dependet à materia, si enim informat materiam, quis non videt dependentiam? neque pariter valet consequentia; in operando non est

immixtus ; ergò non est forma informans.

Ad argumentum verò desumptum ex
 12. Tex. Metaphysica , an omne carens materiâ in-
 divisibile sit , vt humanus intellectus , ex
 quo deducunt ; ergò si humanus intellectus
 caret materiâ ; ergò , ex mente Philosophi,
 non potest esse forma informans , eò quia
 caret materiâ .

Respondeo non esse hujus loci dispu-
 care , vtrum absolutè humanus intellectus
 sejunctus sit à materia , nec ne , sed solum-
 modo cùm sit indivisibilis non commi-
 xtus , vtrum indivisibiliter intelligat , pro-
 vt intellectus divinus , nempè Deus , qui
 per totam æternitatem se ipsum intelligit
 individuè : & desumit argumentum ab in-
 tellectu humano , qui aliquando , non verò
 semper indivisibiliter intelligit , Non per
 partes , non enim semper habet id , quod bene
 est , in hoc , aut in illo , sed in toto quodam id ,
 quod optimum est , aliud enim ab eo existens :
 ergò mens Aristotelis hic est , docere Deum
 intelligere se ipsum individualiter , desu-
 mendo argumentum ab intellectu huma-
 no , qui aliquando intelligit individualiter
 tanquam à notiori nobis ad ignotius : quid ,
 quæso , per hoc concludunt ; si ergò huma-
 nus intellectus carens materiâ , non est for-
 ma informans , haec non videtur conse-
 quentia habere robur , quia etiam respon-
 deri

deri potest juxta jam dicta ; intellectum humanum indivisibilem & carentem materia, si respiciamus ad esse proprium , non esse sine materia , siquidem commensuratur corpori , & corpus informat , dici debe re commixtum & non commixtum : si vero consideratur tanquam operans , & recipiens objecta esse immixtum , nulla tamen per hoc tenet consequentia , vt difusè supra dixi , sub diversa enim operatione , diversum pariter sortitur effectum , ac diversam denominationem , vt fusiùs quando pertractabitur de intellectu agente & paciente.

Nec ulterius ullius roboris est objecio desumpta ex cognitione universalium , quae fit cum abstractione à materia , dum dicitur ; ergo non competit nisi facultati à materia abjunctione , & talis est anima rationalis , non poterit ergo ea esse forma informans.

Respondeo enim , ly abstractum duplíciter considerari : vel quo ad esse , vel quo ad operari ; vnde quo ad esse non est abstractus , quod nempè nullo modo insit materiæ , nam si informat , ineſt : quod vero ad operari , transeat , idest , non dependeat in operando ab ullo organo , verum est , & sic & tali pacto concedendum est , & sic & tali pacto concedimus quidquid dixerint , dummodo ex his non concludant non

esse formam informantem : Unde intellectus est abstractus , quatenus in operando abjunctus est à materia , id est ab organo , & hoc videtur sufficere , ut possit intelligere vniuersalia , ex abstractione enim eorumdem , nulla potest adduci illatio , quām , quod intellectus non fit organicus .

z. cap. 3. Nec valdè dissimile est fundamentum erutum ex libris de generatione animalium , ex quæstione nempè : *an omnes partes animæ extrinsecùs adveniant , an nulla extrinsecùs , an aliqua extrinsecùs , & aliqua non extrinsecùs , & tandem resolvit :* sola itaque mens extrinsecùs advenit , eaque sola divina est , quia nihil cum ejus actione , communicat actio corporalis : inferunt ; ergo tanquam extrinsecùs adveniens non potest esse forma informans , sed assistens solum : & subdit eodem loco , mens humana est divinum quoddam , quasi dicat , quod exceedat humanam naturam .

Dico Philosophum considerare hic mentem humanam simpliciter , non vero quatenus contemplativa est , & non operans per organa , hinc dicit extrinsecùs advenire , id est , non habere originem à materia , nempè non contineri in semine . cùm eam sèpè immateriale declaraverit , & sub formalitate immaterialis advenire extrinsecùs , non esse in semine , sed aliundè originem ducere , & sufficit eum expressè non

non posuisse animam rationalem sub categoria generationis & corruptionis, nihil enim refert eam appellasse quid divinum, nam ad hoc abunde superius responsum est, & repetimus hanc pronunciationem esse comparativè, respectu aliarum animarum, propterea dixit, quod intelligere sit quodam Divinum.

Et verè miror Commentistas afferentes tractatum de anima pertinere ad Philosophum naturalem, quoniam juxta illos, cùm sit solummodo forma assistens, est quid extrinsecum, seu causa movens extrinseca, quæ est veluti auriga, ut in libris de Cælo afferit: vbi Intelligentiam, quæ moveat cælum, vocat animam ejusdem: & licet aliquid breviter superius dictum sit, aliqua tamen adhuc supersunt dicenda, vbetioris doctrinæ gratiâ: Philosophus enim ^{r. cap. 1.} de partibus animalium afferit Physici esse agere de omni anima, quare, si ita est, ejusdem etiam erit agere de omni intelligibili, adeoque de omni ente, cùm omne ens sit intelligibile, ex quo sequeretur præter Physicam nullam dari aliam scientiam: quod quam falsum sit, quis non videt? Physica enim non considerat res à materia abstractas, illæ enim ad Metaphysicum spectant, verum principium intellectionis, ut est anima rationalis, quæ ut tale est, abstrahit à materia, alioquin etiam Angeli haberent

ordinem ad materiam; ergò: sequela videatur evidens.

Dico nihilominus omnino ad Physicum spectare, considerare essentiam animæ rationalis, ut talis est, & accidentia illi naturaliter debita, sive unitæ, sive separatim existentes: de primo enim evidens est; nam ad eandem scientiam spectat tractare de partibus, ad quam spectat tractare de toto, & cum anima sit pars compositi, & cum ad Physicum spectet tractatio compositi; ergò etiam animæ, tanquam partis illius. Videtur aliqua difficultas de anima separata, sed dubium resolvit Philosophus, siquidem in tertio libro nihil aliud pertractat, quam de anima rationali, & ejus potentia intellectiva, & in nulla alia Philosophiæ parte quidquam de illa meminit: verum quidem est, quod primariò in eo libro considerat eam ut formam, secundariò tamen, quia per modum quæsiti proposuerat, an separabilis sit, ideo in hoc tertio libro resolvit, & separabilem esse ostendit, & hæc dicta sint per parenthesim.

Quibus ita præhabitatis, dico animam rationalem esse actum primum corporis informantem, & actum secundum gubernantem & regentem, neque alio modo differre à nauta regente & gubernante navim, quam quod hic sit principium extrinsecum motus navis, officiumque solùm habeat

habeat regendi: illa verò sit principium intrinsecum fungaturque dupli munere, & informandi & regendi, & ratio horum est, quia anima vt forma solum informat, informando autem communicat se intrinsecè, ideo est principium internum, & quo usque informat tale principium est, movet pariter & regit, non verò vt nauta, aut auriga; quia illa internè id præstat; intellectio enim est actio vitalis, actiones verò vitales sunt immanentes quæ in eodem principio, à quo producuntur, recipi debent; ergò debent produci à forma intrinseca, & in eadem recipi, aliàs juxta adversarios produceretur intellectio à forma afflidente extrinseca, & reciperetur in intellectu intrinseco, & ita esset actio immanens.

LUCUBRATIO VI.

An semen fit animatum.

Anquam ulterius progrediamur asserere de anima, inquirendum primò venit, an semen inanime, an animatum sit: ne mè an formaliter & actualiter tale sit, & vivat, an verò solummodo potentia in se vitam contineat; Multi multa dicunt, & scribentes de hac materia in diversas sectas abierunt, ita ut difficile sit certi aliquid statuere, cum non solum quisq; pro se apparentes adducat rationes, sed etiam

valdē probabiles, multūm verō confert sci-
re naturam, & substantiam seminis, ideo
hac lucubratione & sequenti de hoc tan-
tum pertractandum est.

Quid ergo semen sit primò inquiren-
dum est, & qualis ejus definitio

Tract. Definitur ergo ab Alberto Magno su-
per expositione Henrici de Saxonia ; quòd
sit superfluum alimenti, quod in substan-
tiam rei alendæ non cedit.

x. Cap. Daniel Senertus institut. Medic. ait,
x. quod semen esse corpus quoddam spirituolum,
calidum, & humidum in testibus genitum,
seu spiritu plenum, ad animæ propagatio-
nem, & similis animalis generationem a-
ptum. Ambæ definitiones videntur sa-
tisfacere, Alberti verò manca aliquo mo-
do apparet, eò quòd non attingat causam
finalem. Sed prætermisis his videamus
i. Cap. quid Philosophus censeat, & quidem de ge-
neratione animalium appellat excremen-
tum, quod si tale, ad quid disputamus, an
sit animatum? animam enim ens nobilissi-
mum & cuncta sublunaria excedens affige-
re excremento supervacaneum est : hinc
plurimi negarunt capillos, pillos & vngues
vivere, non aliunde, quām quia excre-
menta nuncupantur. Ego verò eādem,
quā animal vivit, animā omnia supra dicta
existimo vivere supposito tamen, quòd
apud me certum est, vivere nil aliud esse,
quām

quām se movere ab intrinseco motu vitali,
& pillos & vngues habere tale principium
intrinsecum, palam est; crescent enim se-
cundūm trinam dimensionem, secundūm
longum, latum & profundum, vt habetur
ex Philosopho de anima, vbi inter cæteras
differentias ipsius vivere, inquit adhuc an- 2. Tex.
tem motus, secundūm alimentum, & aug- 13.
mentum, & decrementum: unde & vegeta-
bilia omnia videntur vivere, videntur enim
in se ipsis habere potentiam, & principium
hujusmodi, per quod augmentum, & decre-
mentum suscipiunt, secundūm contraria lo-
ca, non enim sursum quidem augentur, deor-
sum autem non, sed similiter in utramque &
omnem partem aluntur & vivunt semper quo-
usque possunt accipere alimentum: quare
cūm pilli manifestè habeant organa, per
quæ attrahunt alimentum, quòd verò non
exerceant alias viventium operationes,
inde evenit, quòd instrumenta non adsint,
per quæ anima suas possit exercere opera-
tiones, prout insinuavi in meo liberculo de
coitu, ideò vivere dicendum est.

Dicitur ergò ab Aristotele semen ex- Quest.
crementum, non quod tale sit, sed respe- 13.
ctu partis alendæ, cūm superfluum quid sit
pro alendis partibus, ideòque tanquam ta-
le transmittit natura ad vasa seminalia, &
ad testes, reservandum inibi pro generatio-
ne & conservatione specierum, quare Phi- 1. Cap.
loso- 18.

Iosophus de generat: animalium, appellat semen excrementum alimenti vltimi partium solidarum, & materia hujus eadem est, quæ est alimenti vltimi, igitur excrementum substantificum est, & tanquam superfluum nutrimento transmisum ad loca supra dicta, ad id à natura destinata, vnde nomine excrementi, intelligendus est Aristoteles, superflui, & quod quasi amplius non exigitur à natura pro munere alendi, licet ejusdem sit excellentiæ cum ipso, quod transmutatum est in partem, plura in meo liberculo supra memorato.

Plurimi ergò tenent semen esse tantum potentiam animatum, proptereaque animalia educi è potentia materiæ.

*r. Tex.
31.* Et præcipuè Averroës in Metaphys. ait formam in semine latere, & cùm ibidem Philosophus comparet artificialia naturalibus, & de semine idem dicit: addit verò Averroës: *Semen generat per potentiam quam habet similem artifici, quia forma generati est in semine in potentia, & id, ex quo est semen, convenit nomine & ratione cum eo, quod fit ex semine quoquo modo, & paulo post in rerum generatarum materia est potentia, ut ex eis generatur aliquod simile per potentiam quæ est in semine.*

Verùm quid sit hæc potentia, & à qua causa deducatur in actum, non videtur adhuc explicatum, nec patet quid velint fautores

tores hujus sententiæ : si enim quæras quid
 sit illaeductio , nil aliud dicunt , quām fie-
 ri aliquid actu quod non erat ; sed adhuc
 magis obscurum est , quid illud sit , quod
 actuat illam potentiam : quare Toletus de
 generat . & corrupt. fateor , inquit , virtutem ^{1. Cap. 3.}
 banc esse mirabilem , quæ participat aliquid ^{Quest.}
^{2.} virtutis creativæ : Sed non est , cūm semper
 circa subiecta operetur : est etiam virtus mi-
 rabilis materiæ , è cuius potentia educuntur ,
 quæ actu non sunt : sed quid velit adhuc im-
 manifestum est ; nihil enim explicat , nihil
 aliud facit , quam verba gloria prodonit ;
 vnde admirari potius debuisset pertinaciam
 defendantium hanc educationem , quām
 materiæ mirabilem vim , siquidem non
 possunt explicare illam potentiam per a-
 liud , quam per dispositionem materiæ ad
 certam formam , vt accidente operatione
 ordinaria agentis sive efficientis , forma ex
 illa excrescat , & resultet , & tamen istam di-
 positionem dicunt esse materiæ secundæ ,
 siquidem materia prima est indifferens ad
 omnes formas , neque magis determinata
 ad hanc , quām ad illam ; nam forma quæ
 actu fit , cūm priùs fuerit solummodo in
 potentia , aut fit ex nihilo , aut illa disposi-
 tio , quam alio , quam qualitatis nomine ,
 appellare non debent , nec possunt , siqui-
 dem nihil importat aliud , quam certam
 mixti temperiem : an verò temperies illa
 edu-

educat, vel dicant, quid est illud educens: torquentur, nec quo se vertant sciunt, nihil enim liquidi aut certi in medium afferrunt, quid sit illud efficiens: non enim audiunt dicere materiam primam; quia omnes norunt esse principium passivum: non solem, seu cætera quædam sydera, sunt enim causa remota & vniuersalis, non specifica: non calorem aëris: non veteri: non volatilium incubantium aut fornacis, aliæ accidens esset productivum substantiæ.

Nullo ergo modo admitenda est educationis animarum è potentia materiæ, siquidem non est conceptibile illud efficiens, quod educit; si enim tale educens pateret, ac intellectui manifestum esset, ego lubens assentirer educationi; sed quia tantum verbis multi depinixerunt sine vlla apparentia veritatis, & dum probare intendunt, ad idem tandem quæsitus rediguntur, quid est illud efficiens: & vt in principio dictum est, non cælum quia causa vniuersalis & externa est: non mater vel pater; quia licet de generatione animalium perfectorum dici posset, est tamen propositio vniuersalis falsa, etenim ovi pater aut mater forsitan decesserunt, & tamen incubante aliâ gallinâ enascitur pullus: & pari passu dicendum est de plantis, & seminibus cæteris; etenim ratio generationis non æquivoca est; ideo statuendum aliquod principium vniuersum,

cum , quod conveniat sub ratione generali omnibus seminibus , & id aliud nunquam assignari poterit , præter animam : anima itaque inheret semini tanquam principium conformatio[n]is . Sed hac de re in sequenti lucubratiōne .

LUCUBRATIO VII.

An semen fit formaliter animatum?

Semen formaliter esse animatum , & actu ei animam inesse intrepidè affero , ac actu in se continere principium vi-^{2. Cap.}tae . Hæc sententia est Philosophi in libris de generat : animalium ; vbi afferit semini inesse vim attractricem ; ergò movet se ab intrinseco . Et pariter eodem loco docet , omnes facultates cuiuslibet formæ , seu animæ esse inseparabiles qualitates , & cùm illi ipsi qui docent esse tantum potentiam ^{1. Cap. 3.} , concedunt in semine reperiri facultates animæ , ibi etiam animam esse , negandum non est ; alias negandum non foret accidens posse producere substantiam , maximè juxta illos , qui distinguunt potentias ab anima : & ut magis clarescat mens Aristotelica circa hoc , perpendantur libri supra dicti degenerat : animalium , videaturque quomodo in semine anima ædificet sibi proprium domicilium : & ulterius ex ijs-
dem

dem libris videre est, semen ex efficientium
 numero esse; agens verò non operatur qua-
 tenus potentia est, sed quatenus actu tale
 est: & quod competit semini actio & mo-
 tus ex ijsdem libris facile est speculari, & a-
 1. Cap. lio loco clarius hanc veritatem proponit,
 2. vbi ait: *quacunque aut natura aut arte effi-*
 3. Cap. *ciuntur, ab eo, quod actu est, sunt, ex eo,*
 20. *quod potentia tale est: semen igitur tale est,*
motumq; & principium in se habet, ut motu
peracto pars unaquaq; exstat, quoque eodem sit
animata: dicant jam negantes animam in-
esse actu semini, an quid clarius dici possit,
potentiam enim appellat actum primum,
qui est actus qui vivificat, abstrahendo ab
operationibus, ut videre est in semine exi-
stente in horreo, quoniam vivit gramen,
licet operationes vitales manifeste non e-
 2. Cap. *xerceat, & in libris Physicis, semen & me-*
 3. Tex. *dicus, & qui consuluit est omnino efficiens,*
 31. *causa sunt omnes, unde mutationis, vel statu,*
vel motionis est principium: Verum de prin-
cipio vitali est aliquid dicendum inferius,
de semine igitur progrediamur: conforma-
tio est actus vitalis, verum cum natura sit
principium motus ejus in quo est; ergo il-
lud principium erit internum, quare causa
conformationis erit intrinseca, ejusdem
autem conformatioonis causa, ex Aristotele
de generatione animalium, inest semini,
 2. Cap. *quid, quæso, ex mente illius aliud dicendum*
 3. *erit,*

erit, quām quodd anima actū insit semini, imò hoc ipso loco, libet illius verba in medium afferre: *Semen tale est, motumq; habet, & principium ejusmodi*, ut motu peracto, pars quilibet consurgat, eademq; sit animæ facultatibus donata: interpretentur, si possunt, adversarij aliter, quām supra dictum est, combinent textus, adducant alios in contrarium, si reperibiles sunt, producantque, vt splendor veritatis ignorantiæ tenebras offuscat; sed quid dicant, aut quid dicere velint, manifestum non est. Dicent fortè aliquod semen animatum esse, non verò omne, vt existimarunt aliqui de granis; sed quomodo respondebunt ad authoritatem Aristotelis, qui in Metaphysicis, semen connumerat inter agentia vni-
7. cap. 8.
Tex. 28.
 voca? & maximè conceptus generationis
9. Tex.
29.
 est vniuersus?

De actuali vitalitate seminis Albertus Magnus de secretis mulierum ait: *Sperma Tract. 2.
 vero in matrice mulieris collectum Cap. 1.
 augmen-*
*tatur statim cùm infusum est, & quando est
 bene clausa matrix, & augmentum est appo-*
*situm vegetativa animæ, quoniam à spermate
 deciso à patre, vel à generatione divisa est po-*
*tentia vegetativa: vnde cùm dicat statim
 augmentari, dubium non est ipsum vive-*
re, parique ratione animatum esse; au-
*gmentatio enim non est juxtapositio, quæ
 est corporis ad corpus, quoniam dicit au-*
gmen-

gmentum apponi animæ vegetativæ , hoc principium tribuit ipsi animæ . Sed inutiliter videtur teri tempus in investiganda anima in semine solummodo per authoritates , quarum longam seriem inferiùs adducemus ; quid ratio ipsa dicit , aut quomodo animam inesse demonstrari possit , perspiciendum est inferiùs , & certè , ut verum fatear , eductioni libenter subscriberem , dummodo efficaci aliquo argumento ea expiscari posset , & illud efficiens , quod in se vim habet educendi animam è potentia ad actum , aliquis rationabiliter demonstrare posset : nemo verò hucusque nisi nudis verbis circumscribere potuit , defatigarunt quidem se in depingendo , at postquam sati conati sunt probare , tandem ad pristinum quæsitum redacti sunt , ad illud nempe efficiens ignotum .

Dicere forsan poteris , anima ad hoc ut operetur , organis vti debet , nulla verò esse in semine assignabilia talia organa saltem quoad vegetativam , & sensitivam ; ergò non esse in semine admittendum tale principium operandi .

Responsio sit , in plantis , aliisque quibusdam animalibus motu locali carentibus , non dari quidem conspicua organa , per quæ anima operatur , & tamen duce experientia operari videmus , non igitur deducenda est consequentia ; organa non patent ,

tent; ergò organa non insunt, quia provida natura juxta exigentiam corporum attribuit organa, modò patentia, & sensibilia, modò obscura, & sensibus minùs obvia, modò penitus latentia.

Enimverò anima in semine primò format instrumenta ad nutritionem necessaria, vigetque in omni vivente primò nutritio, quæ cum maximè, & ferè sola apparet in plantis, homo primò plantarum vitam vivere dicitur, deinde progressu temporis, & sensus instrumenta efformat, & tandem apta ad ratiocinationem, tum demum Deus infundit mentem, quare vegetans, & sentiens, vel vegetans, sentiens, & rationale, non sunt peculiares quædam, & generales formæ, & tres essentiae, sed generalis conceptus ex comparatione, & convenientia.

Et sanè qualia patentia organa sunt in plantis & seminibus? sunt quidem hæc munita cortice, aliisque munimentis sensibilibus, quia anima semina voluit defendere contra externas injurias, semen vero animalium cum statim in uterum matris coniiciatur, ac ab eo foveatur, & ab eodem sanguinem fætui formando accipiat, maneatque elaboratum ad instar lactis, non indiguit externis his sæpimentis, aut internis patentibus organis.

Et si objeceris Aristotelem in libro de Cap. vii.

respiratione dicentem, omne vivens quām-
diu vivit nutriti, semen verò non nutriti,
proptereaque non vivere.

Sciendum est duplēcē esse vitam, a-
liam in actū primo, quod sonat vivificare:
aliam in actū secundo, quod denotat edere
operationes vitales, hic verò loquitur Phi-
losophus de actū secundo, de viventibus
perfectè conformatis: quæ sine dubio vive-
re non possunt nisi nutriantur, quare in a-
ctū primo dicimus omnia ova, & semina
vivere, animataque esse, quod demonstrat
exclusio pullorum fotu caloris alterius spe-
ciei, vt anatis incubantis ovis gallinæ; sed
quid dicam de bombycibus, qui excluduntur
ex ovis vi cuiuscunque caloris tempe-
rati efoti, vt experientia demonstrat?

Quare rectè vivere dicuntur in actū
primo, gratia in horreis, limaces, serpen-
tesque sub terra tempore hyemis, quo-
niam hæc animalia eo tempore vivere cer-
tum est, & videtur anima eorum, quasi
sopita somno detineri quoad actū secun-
dum, cætera verò vivunt in actū secundo;
quia exercent actus vitales sensibiles, & pa-
tentēs, sic gramen commissum terræ ha-
bens debitas dispositiones, exercet attra-
ctionem, augmentationem, ac generatio-
nem in sibi simile, serpentes, limaces, isti
jusmodique cætera animalia in æstate exer-
cent actus vitales patentēs, loco enim mo-
ventur,

ventur , vtuntur alimento , & crescunt ;
 quare ratio formalis vitæ constituitur in so-
 la motione intrinseca , & ideo vitali talem
 non dependere formaliter à motione Phy-
 sica , quatenus realiter , & Physicè viventia
 se moveant ; quia vita in actu primo non
 esset vita . Siquidem nullam dependentiam
 habet cum motione Physica , nec grana ,
 nec animalia supradicta ullam motionem
 Physicam habent modo , ac tempore supe-
 riùs descripto , sed solùm principium vivi-
 ficandi .

Quod si fortè dixeris , esse tantum po-
 tentiâ vitalia grana , commissa verò terræ
 habitis necessariis dispositionibus deduci
 ad actum , ecce quomodo incidas in quæsi-
 tum à principio : sed dicas velim , quid sit
 illud educens , reverteris ergò ad petitio-
 nem principij , & certè , vt superius dixi tri-
 diculosa est illa eductio .

Jam ergò accedamus ad comproba-
 tiones animæ in semine actu , & non po-
 tentiâ existentis . Quidquid enim in se ha-
 bet efficientem conformatiōnis causam ,
 habet in se animam ; sed semen in se habet
 principium conformatiōnis corporis ani-
 mati ; ergò actu animam : Thomas quidem
 Fiemus , qui acriter educationem tuetur , con-
 cessâ majori , & minori , negat consequen-
 tiā de formatiōne fætus : Fateor inquit , præ-
 missas esse veras : sed nego sequelam , ve-

rūm nescio quomodo illa sequela negari possit , admīsā majori , & minori , siquidem Syllogisticè , ex veris præmissis sequitur consequentia vera ; dicit enim non priùs animam adesse , quām omnia actuata sint , verūm deberet ostendere , quæ causa actuet , ante adventum animæ , quodcumque enim semen in terram conijciatur , vel quocunque etiam in loco humectetur , nulla alia causa accedente , primò radicem emittit , paulò post germinare incipit ; declaret ergò hujus conformatiōnis , & operationis causam efficientem , nec aliam certe adinvenire poterit quām animam præ-existentem ; & cùm , quidquid sibi simile generat , necesse sit , vt genito suam essentiam communicet , aliàs non esset secundūm essentiam simile ; sed vivens quodlibet generat sibi simile ; ergò genito suam essentiam communicat , & per consequens non tantūm materiam , sed etiam formam , qua rei essentia absolvitur .

Cap. rr. Unde recte Zabarella de facultatibus animæ , ait , semen præditum facultate vitali , quæ eadem in generante erat , sed simul communicat aliquid de sua materia ; quia forma non potest migrare de materia in materiam , quare necesse est , vt vivens generans exhibeat portionem suæ materiæ , vna cum portione animæ nutritivæ , & caloris sui naturalis , ex quo fit postea alia numero

mero anima, & aliud vivens ejusdem spe-
ciei, adducitque authoritatem Aristotelis,
qui libro de vita, & morte, dicit, genera-
tionem esse primam participationem ani-
mæ nutritivæ cum calore naturali, & idem
de ortu animalium replicat.

Verum, quia Zabarella triplicem in
homine admittit animam, ideo definitio-
nem Aristotelicam, ita explicuit: ego verò
dico eum ibi loquutum fuisse non in actu
secundo, quia necessariò primò intelligitur
vegetatio, quam sensatio; etenim etiamsi
anima disponat ac conformet corpus, tūm
ad vegetationem, cùm ad sensationem,
priùs tamen, & si non tempore, sensibili-
ter tamen intelligitur vegetatio, quam sen-
satio, exercentur enim priùs operationes
animæ vegetantis, quam sentientis (lo-
quor de iis in quibus unus gradus virtuali-
ter continet alterum) forma enim est, quæ
terminat quantitatem sui corporis, & quælibet
anima suo corpori determinatam fi-
guram inducit, eamque in nutritione, au-
gmentatione conservat.

Et si dicas fortè, animam esse actum
corporis organici, neque organa inesse se-
mini, iterum, vt priùs respondeo, esse or-
gana licet non apparentia; nemo enim in-
ficiabitur in grano frumenti non esse ani-
mam, dicant ergò, vbi sunt organa, & ta-
men concreditum terræ cum cæteris dispo-

fitionibus necessarijs, pullulat, excrescit,
& fructum producit, ipsa proprij corporis
organa disponit, ac conformat: quare Tho-
mas Erastus de occult: medicin: propriet:
refert ad benedictionem Dei jubentis: Ger-

Cap. 15. minet terra germen, herbam producentem se-
men, arborem fructiferam facientem fructum
juxta speciem suam, cui insit semen suum su-
per terram: & crescite, & multiplicamini, ait
enim ipse, non vt existerent, duntaxat, res
creatæ, jussit Deus, verum etiam vt se ipsas
propagarent, sicut ab ipso conditæ erant,
imperavit, nec fuit inanis ille jussus, sed
prorsus efficax; dum enim jussit, vim si-
mul suam tribuit singulis, quâ, quod jussa
essent, perficerent. Hujus ergo benedi-
ctionis vi, mediante semine per traducem,
id est, vt anima non è semine educatur, sed
per semen, & cum semine deferatur ad
partes è semine generandas, & velut lumen
alumine accensum animæ propagentur.

Eius sententiam quò ad animationem
seminis, habito respectu ad gradum vege-
tantem, & sentientem lubens recipio; quia
tamen videtur vltterius asserere, esse etiam
animatum animâ rationali, in hac parte im-
probo; traduci enim sensitivam, vt supe-
rius dictum est, non est improbandum, de
rationali verò secûs sentiendum est; quo-
niam ejus creationem, ac infusorem ad-
mittere consentaneum est: aliás quo vis-
modo

modo profundentes semen homicidæ nuncupandi forent, quod tamen est contra jus Canonicum capit: sicuti: quæst: 2. Ubi Connimbricenses dicunt, non committi homicidium, ab eo qui fætum in utero occidit ante infusionem animæ rationalis, quia nondum dici potest natum esse hominem, & cum Canones dicant occidi; ergo etiam supponunt vivere ante infusionem animæ rationalis, hanc quoque sententiam tuetur Ludovicus Engel in Manuali Parachorum, part. 3. cap. 2. de casibus reservatis fol. 246. qn̄ citat Barb. ad Decret. Strab. Distinctio-
ne 5. num. 2. Cum tamen animadversione, quod aliquando non sit casus reservatus, si præsertim in dubio sit: nec satis constet de conceptione, qui pariter in hoc citat Palao. d. pun. 15. §. 2. no. 12. Et licet aliqui existiment Deum infundere animam in ipso primordio generationis, hoc nihil importat contra fidei sanctiones sustentata semper animæ infusione; etenim nihil certi est de tempore infusionis, immo neque de principio, quo fætus incipit animari; quilibet enim pro suo nutu stabilire potest; Sic Thomas Fiemus credit infundi rationalem tertio die à conceptione; de formatione fætus quæst. 8. conclusione 11. Macrobius verò libro 1. in somnium Scipionis cap. 6. conceptum, quem quisquis ultra septem horas sustinuerit, esse ad vitam creatum

afferit, & Tertullianus libro de anima, ait,
& in ipso, & ex ipso serì hominem, & vi-
vum esse à primordio semen.

Quare Fælix Platerus in quæst. medic.
quæst. I. Exurgit inquit, primùm vis illa pro-
creatrix in semine latens, & recondita, ac in-
signiores seminis portiones, quæ à tribus pa-
rentum principiis defluxerunt, in tres quasi
bullas spiritibus surgentes disponit, quæ cerebri
cordis, & jecoris sunt rudimenta, in exiguo
corpusculo conclusa, reliquasq; illi adhærentes
portiones in artus, illiq; adnata membra, ru-

Lib. 4. diter segregat: Fortunius Licetus de spon-
Cap. 32. taneo viventium ortu, ait, semen esse ani-
mal imperfectum, ac leonem, & semen
z. C. 74. leoninum esse vnivoca, & habere eandem
animam pro sua forma essentiali: & alibi,
tunc patrem revera generare, quando à se
semen excutit, quasi partibilis anima, &
quæ in semine permanet, fota ab uteri tem-
perie, nauctaque materiam opportunam,
in eam suas vires exerceat, ac formet sibi
corpus organis instructum, quibus necesse
est ad vitales operationes exercendas, adeò
ut semen sit animal & vivens, cui sola de-
est organorum multitudo, ita ut generatio
præcisè fiat emissione seminis.

Exer. 6. Ita etiam sentit Scaliger cujus verba
Sect. 5. sunt hæc: Si extrinsecus venit forma, at-
que interea, ut scribunt, omnium perfe-
ctionum genere instruitur materia, ab ali-
quo

quo intus , & qualitates , & quantitates , & numeros , & ordines , & situs apparari , atq; institui necesse est , denique corpus ipsum totum fabricari . Hæc fabrica fit aut à substantia , aut ab accidente , aut ab utroque : non ab accidente solo , quia nullum accidens agit , nisi vi suæ substantiæ , & quia nullum accidens cognoscit : illa verò virtus tam nobilis templi architecta sapientissima ab omnibus Philosophis judicata est . Ædificabitur igitur à substantia : at hæc forma seminis est , sanè seminis forma , si non est anima , bruta res est , & si fabricat est æqualis animæ , & in incrementis , & amissiæ carnis repositione , illud animæ opus est ; erit igitur in semine anima formatrix antecedens animam , cui parat illud domicilium . *hæc Scaliger.*

Et hæc eadem sententia est præclaris .^{2. tex. 6.}
simorum virorum Themistij de anima :^{2. tex.}
Antonij Zimaræ de anima . Zabarellæ de fa-^{43.}
cultatibus animæ , qui hac de re in longum
disputat , & ex professo ostendit hanc veri-
tatem plurimis efficacibusque argumentis .
Fortunij Liceti passim in libris desponta-
neo viventium ortu .^{Cap. II.}

Est etiam Aristotelis in Metaphysicis ,^{7. cap. 9.}
vbi semen enumerat inter agentia univo-^{Tex. 31.}
ca , & quia omnia agentia univoca sunt è^{2. cap. I.}
numero principalium , non instrumenta-
lium , ita etiam de generat. animalium , in

Phy-

2. Cap. Physicis pariter id ipsum docet, vbi expressè
13. sè ait, *Semen & medicus* (hunc textum ci-
Tex. 31. tavi superius) & qui consuluit, & omnino ef-
 ficiens causæ sunt omnes, unde mutationis,
 vel statū, vel motionis est principium.

Sed quoniam dictum est semen vive-
 re, cùm superiùs assignaverimus duplēcē
 vitam; in actu primo, & in actu secundo:
 & vltériùs semen, vt semen, vivere in actu
 primo: & tandem in actu secundo, dum
 nempè anima in eo existens operatur, vn-
 dè concludo semen vivere actu in partibus
 spermaticis, vitâ nempè actûs primi, & in
 potentia vivere vitâ actûs secundi, respi-
 ciendo ad operationes vitales, quæ exerce-
 ri non possunt, nisi per organa benè dispo-
 sita, & ab omni colluvie excrementorum
 defæcata; medià etiam debitâ temperie,
 quod fieri non potest, nisi in loco apto, ido-
 neisque adhibitis dispositionibus, vt anima
 propria perfectiùs elaborare possit instru-
 menta necessaria ad operandum, quod op-
 timè intellexisse videtur Fernelius de homi-
 nis procreatione, & semine; vbi inquit:
Alimentum, quod ad membr a difunditur, &
accedit, simile ei esse, quod tanquam superva-
caneum relinquitur, semen aut manus, aut
faciei, aut etiam totius corporis, manum esse,
aut faciem, aut corpus totum, sed promiscue,
& confusè: vnde non dicitur excremen-
 tum, quatenus tale sit, sed alimentum præ-
 stan-

Cap. 5.

stantissimum, quod supervacaneum est, pro aliendis partibus corporis, id natura ad vasa seminalia transmittit, pro generazione inibi reservatur.

LUCUBRATIO VIII.

Quā anima animatum est semen?

Restat adhuc inquirendum, siquidem dictum est semen esse animatum, quā nempē animā, seu quo grādu animæ. Nonnulli tenuerunt transfundi cum ipso semine animam inter quos quasi primum locum obtinet Daniel Senertus Hy-^{Cap. 10.} pomin: 4. de animæ propogat: cuius verba sunt hæc: *Animam autem cum semine à Parentibus insobolem propagari: Primo illud probat, quod, ut supra etiam dictum, simile sibi simile generat, id, quod clarè docet Aristoteles de anima, & paulò post cùm dubius vide-*^{2. Tex:} *retur, inquit: Verum statuat hic quisque quia velit, & animam, seu infundi, seu propagari credat: hoc tamen secundo certissimum esse puto, animam mox à prima conceptione, quam primum semen patris & matris conjunctum est, & in utero matris retinetur, & corpus formari incipit, adesse: immortalitatem tamen à parte post ex gratia divina tenet, & deinde alibi explicans illam propagationem, dicit, nil aliud esse, quām quod per*^{Cap. 14.} *semen, quāsi per vehiculum, traducatur a-* nima

nima ad animandum aliud corpus, seu aliud individuum : verum omittamus ista paradoxa, quae diffona sunt Ecclesiasticis sanctionibus, & ad magis orthodoxa accedamus.

Alij vero existimant animam humam non cum semine traduci, sed creari, & à Deo infundi primo statim conceptionis momento, quod quidem improbandum usque adeo non foret, si argumentum quantumuntur, aliqualem majorem vim in se contineret : dicunt enim ubique animæ humanæ operationes adsunt, ibi etiam adest anima ; at in prima statim conceptione operationes animæ humanæ adsunt, ergo animam humanam ibi statim adesse factendum est, & certè si validè illa minor probaretur, diffitendum non foret argumentum concludere ; dicunt enim operationes illas consistere in membranarum fætum involventium apparatione, & in fætus formatione, sed quia videmus hæc eadem munia cadere in animam vegetativam, & sentientem in cæteris brutis, & plantis, ideo operationes istas communissimas animæ ut sic, & non proprias animæ humanæ dicendum est.

Thomas vero Fiemus de format. fæ
Quest. 3 tūs, credit animam infundi tertio à conce-
Conclus. ptione seminis die, quod his rationibus
31. comprobare videtur: quod conformat fæ-
tum

tum, conformat membranas ; sed quod conformat membranas debet tertio circiter die esse in semine ; ergò anima rationalis debet esse tertio circiter die in semine , quod enim conformat membranas debet esse in semine antequam ipsæ conformentur , vel eo ipso , quo incipiunt conformari tempore , cùm causa efficiens sit prior tempore , vel simul cum suo effectu ; ast membranæ sunt conformatae ad summum die quinto vel sexto ; ergò ad minimum incipiunt conformari die tertio , & propterea etiam anima rationalis debet inesse semini ad minimum die tertio.

Verùm, cùm, vt supra dictum est, formatio fætūs non sit in homine , vt subiecto non adæquato , sed in genere in omnibus viventibus , plantis, brutis, & homine , inde est causa communissima omni viventi , ideo ex conformatiōne corporis , non debet argui præsentia animæ rationalis ; quia hoc modo esset operatio propria , & peculiaris hominis , quæ convenire aliis viventibus neutiquam deberet , hinc tota vis argumenti corruit , & cùm natura ne momento quidem sit otiosa , quām primum semen in utero conclusum est , ab anima inchoari , continuari , perfici , & absolvī , certum est.

Dico ergò ; semen non esse in principio animatum animâ rationali , non obstante , quod conceptus generationis sit univocus ,

cus, & hoc dictum sit sistendo in Jure Ca-
 nonico supra citato statuente marem infor-
 mari anima rationali 40. die , vltimum
 quod mihi videtur hæc sententia vnliformis
 rationi ; quia aliàs quisquis quocunque mo-
 rino profunderet semen semper homicida
 esset , ac perimeret hominem , hoc vero
 nullibi dictum reperitur , vel à Conciliis ,
 vel à SS. Patribus , vel ab aliquo recte sen-
 tiente Philosopho , & ipse Philosophus in
 libris de generat: admittit in materia vege-
2. cap. 3. tantem , & sentientem animam , mentem
 vero humanam deforas advenire absolute
 statuit . Postquam ergo recte dispositum ,
 & organizatum est corpus , Deus creat , &
 infundit animam , quæ postea operando e-
 minenter continet alios duos gradus vege-
 tandi , & sentiendi nempè , quare inferen-
 dum est , quòd non solùm in homine , sed
 in aliis brutis quoque vnicus gradus vlti-
 matus animæ reperiatur , ita vt anima bo-
 vis in se contineat & vegetantis , & sentien-
 tis , hominis vero , & vegetantis , & sen-
 tientis , & ratiocinantis ; & licet Henricus
Tract. 2. de Saxonia , super expositione Alberti Ma-
 gni de Secretis Mulierum , distinguat ani-
 mam vegetantem à sentiente in æmbrione ,
 hancque putet introduci à virtute quadam
 cælesti , tanquam causa vnliversalis , eamque
 accipi in communi , verùm , quia dicit ,
 quòd anima sensitiva in specie attribuatur
 fætui

fætui à virtute informativa existente in semine , & quod corpus cæleste , vt est agens vniversale , omni fætui indifferenter tribuat animam sensitivam , quid sibi velit , occultum est , nisi fortè intelligat , quod cælum concurrat tanquam causa vniversalis , vt dicitur : sol , & homo generant hominem , & in hoc sensu vterius disputandum non est , si verò alio modo interpretandum sit , quid hoc sit , immanifestum est : Zabarella Cap. 9.
 etenim de mente humana , ait , hoc agens externum , & vniversalis esse calorem , non quidem igneum , aut elementarem ; siquidem calor igneus non est productivus viventis , imò sub hac formalitate explicans Magistrum afferentem , solam mentem humanum advenire ab extra , omnes animæ partes advenire extrinsecus , quod tamen expressè constat ex Aristotele contrarium , concedente animam vegetativam & sensitivam inesse semini (excepta mente) quoniam superiùs dictum est , proponendum esse aliquid de ratione formalis vita , quid sit quidem vivere , & in quo consistat , dictum est nil aliud esse , quam se mouere ab intrinseco , addimus modo per se , & in loco etiam naturali , hocque dicitur ; quia si diceretur simpliciter esse principium se mouendi ab intrinseco , manifestum foret , quod etiam formis elementaribus , aliorumque mixtorum vita concedenda esset ; siqui-

defri cùm non sunt in suo centro seu loco
 naturali , si nullum adfit impediens , mo-
 ventur naturaliter ad centrum per aliquid
 intrinsecum , quod formam appellare libet;
 quoniam gravitatem ac levitatem ab ipsis
 formis rerum provenire dicimus ; & quia
 hujusmodi motus sunt naturales , natura-
 que sit principium motus & quietis ejus in
 quo est , hinc addimus particulam etiam in
 loco naturali , quoniam inanimata dum
 sunt in loco naturali , non solum intrinsecè
 non moventur , sed immò si moventur , vel
 avelluntur , id violenter accidit illis , vt est
 motus projectorum , inde Aristoteles in Me-
 taphysicis dicit , quod Deus vivit , move-
 turque ab intrinseco per intellectionem : &
 comparativè loquendo inquit : quod homo
 vivat , quia aliquando intelligit , quanto
 magis Deus , qui semper intelligit , conclu-
 ditque , quod inexistentia vita Deo , siquidem
 intellectus operatio , vita est .

Igitur conceptus formalis vitæ est se
 movere ab intrinseco , etiam in loco natu-
 rali , ad distinctionem inanimatorum , qua
 dum sunt in suo loco naturali non appetunt
 movere se , sed quiescere , viventia vero
 naturaliter , sive sint in loco , sive extra lo-
 cum naturalem moventur ; ideoque si ali-
 qua distinctio assignanda foret inter anima-
 ta & inanimata à posteriori , seu per effectus
 existimo , nullam magis consentaneam af-
 signa-

signabilem, quam per motum intrinsecum
 in loco naturali, & per non motum in eo-
 dem loco naturali. Quare semen vivit,
 etiam ante 40. diem gradu sensitivo in se
 continente primum vegetativum; habet
 enim illud principium motivum intrinse-
 cum ex superius dictis, quo nempe vege-
 tatur, crescit, & sentit; peracto demum
 conformatio[n]is opere¹, dispositisque quae
 pertinent ad symmetriam & compositionem
 universi hujus parvi microcosmi, tunc
 Deus infundit mentem, per quam exer-
 centur actus vitales rationales; & hoc recte
 sonat secundum mentem Aristotelicam de
 generat: animalium afferentem; hominem
 vivere primò vitam plantæ, deinde anima-
 lis, tandem hominis, nam credendum est,
 Deum non infundere animam rationalem
 in corpus, quasi in chaos, quoniam illa tan-
 quam gemmam prætiosissimam, non est con-
 sentaneum alligari nisi auro purificato; ad
 quid enim introducenda esset cum sit spiri-
 tus ab omni labe materiae sejunctus, in ma-
 teriam nondum purificatam, & defæca-
 tam; recte ergo dicit viverè tandem vitam
 hominis, qui cum in sublunaris hisce sit
 ultima defacto, meta & congeries opera-
 tionum divinarum, necessarium fuit intro-
 ducente illam in domicilium aptum, & elas-
 boratum secundum exigentiam nobilitatis
 illius; & licet aliqui obiiciant ex Justo

S. cap. 7. Lipsio, qui in Physiob: Stoic: qui citat Tertullianum, multosque alios latinos asserentes animam esse innatam non ingressam, qui pariter eodem loco collaudat Gregorium Nyssenum statuentem neminem sanamente præditum in animam inducere posteriorem esse originem animæ corporis constitutione, ipse met tamen concludit his verbis *sententia erat, quam tueri posse: nisi Ecclesia, & puriores Theologi jam aliter credi consensissent, pareamus*: nihil enim novi dicimus dum animam rationalem infundi asserimus, nam, & ipsæ sacræ paginæ id testantur, dum inquiunt: & inflavit spiritum vitae.

LUCUBRATIO IX.

Quot Genera Animarum de Facto dentur.

ADvertendum est, hic non accipi Metaphysicè, quatenus nempè vegetativum abstrahit in communis, sic enim vnum membrum contineretur sub alio, & hoc modo esset contra bonam definitionem; nam vt infra, tenemus animam rationalem formaliter esse vegetativam; accipitur ergò hic vegetativum pro principio vegetandi, quatenus non est principium sentiendi, sic sensitivum pro eo, quod non est principium intelligendi, pro actu

actu nempè completo, & non subordinato,
quibus ita consideratis.

Aristoteles in libris de anima diversarum animarum genera constituit, respi-^{2. Tex.}
ciendo nempè ad principium vegetati-^{13. 24.}
vum, sensitivum, & intellectivum; si ve-^{27. 33.}
rò consideretur anima respectu operationis^{37.}
quatuor genera constitui videntur, videli-
cet, vegetativum, sensitivum, hoc verò
divisum in duas classes, nempè loco moti-
vum, vt animantia progredientia, & loco
non motivum, vt ostrea, & similia & intel-
lectivum de anima, & ita ista principia se
habere ad invicem, ita tamen, vt vnum^{2. Tex.}
principium esse possit in quibusdam subje-^{16.}
ctis sine altero, & in quibusdam vnum^{Tex. 31.}
subordinetur alteri, vegetativum enim in
plantis consistit sine sensitivo; sensitivum
verò nequit existere sine vegetativo; ex
quo videtur Philosophus per primam defi-
nitionem definitissime animam per actum
primum, idest à notiori naturā; per secun-
dam verò à notiori nobis, & per actum se-
cundum respiciendo ad ipsas operationes,
vndè liquido constat dari vegetativum non
subordinatum, in quo solum sit principium
vegetandi distinctum à reliquis gradibus,
ita Philosophus loco citato; etenim plantæ
sunt etherogeneæ, & consequenter in se
per contraria accidentia agunt; quis verò
inficiabitur per hujusmodi continuum

conflictum eas perituras nisi aliqua restau-
ratio sequeretur : damna itaque accepta re-
fariuntur per nutritionem, quæ est alimen-
ti alteratio, & ejusdem in singulas partes
distributio : attractio enim alimenti fit per
radices quæ supplent vices oris, de anima;

2. Tex. ex quo Scaliger arguit Cardanum, qui lapi-
dibus attribuebat principium vitæ, ratione

6. **Exerc.** accretionis non advertens illam non esse
2. transmutationem, sed juxta positionem

simplicem, transmutatio etenim fit per a-
nimam, anima autem est viventis corpo-
ris causa & principium de anima ubi scri-
ptum est : *Si vero erit, hoc est anima, & cau-*

2. Tex. *sa augendi, & alendi* : quare gaudent solo
36. 39. principio vegetandi, sentiendi vero nequa-
quam, quod vero loco non moveantur

cum sophitis convenient, ast disconve-
niunt etiam, quia hæc sentiunt, & puncta
contrahuntur, & extenduntur, quare.

2. cap. I. Dari etiam animam sensitivam loco

3. Tex. consistentem, & non motivam ; hoc ex-
pressè docet Magister de historia anima-
lium ; imò in libris de anima expressè di-

stinguit animantia sensitiva se moventia à
non se moventibus, non de quolibet motu,
sed progressivo intelligendum est, quia
etiam animantia se loco non moventia ha-
bent motum constrictiōnis ; puncta enim
se contrahunt ; mens ergò Philosophi est a-
gere de motu locali, de progressionē nimis
vnius

vnius loci ad alium , quare in eodem textu reddens rationem quare hæc non loco moveantur , quia inquit non habent instrumenta se movendi , & cùm natura nihil frustra faciat , nisi in orbatis , aut imperfetis , hic deficit motus localis in non habentibus instrumenta ad motum.

Sequitur ergò , dari etiam principium sentiendi , quod etiam in se continet potentiam progrediendi , non tamen intelligendi , vt de bautis clarum est , hæc enim habent organa sensus , & simul partes instrumentales lationis , & ita quidem dispositas talique modo , quo necesse est ad sensationes & loco motiones progredi.

Verum , quia datur aliud etiam principium intelligendi , quod eminenter & virtualiter continet principia , & vegetandi , & sentiendi , hinc principium vivendi distribuitur in quatuor classes , vt patet ex jam dictis , quidquid Toletus dicat in suis de animalibus , & Conimbricenses . Etenim valde exigui roboris est adversariorum obiectio , quæ nempè ex triplici gradu , quo anima elevatur super formas rerum inanimatarum , deducit genera animatorum , triplex vero solum est modus elevationis , ex quo concludunt triplex tantum genus animatorum dari ; verum si hoc probandi genus sufficeret ad indaganda genera animatorum , ego quoque dicam sub ipso genere

vegetativo dari nobilius ad ignobilius, quod ita probo; altioris naturæ erit principium vegetativum quod mediante femine generat sibi simile, quam illud quod non generat, & tamen ipsi hoc admittere erubescunt: & in sensitivo, elevatior est sensus internus, quam externus; quia primus agit mediante specie immaterialiori; sequetur igitur juxta illos dari diversos gradus animalæ, quod tamen negant. Quare claram mihi videtur tot dari genera animalium, quot genera animatorum, horum autem dari quatuor abundè dictum est, quia animatum formaliter constituitur per animam sub ratione animati; album enim non potest sub ratione albi constitui tale nisi per albedinem, vnde si diversa sunt animatorum genera, & animalium tot esse confitendum est, totqueistarum, quod illarum: ita videtur voluisse Aristoteles in suis libris de anima, vbi expressissimè dividit animal se loco movens, à se non loco movente.

2. Tex.
53. 18.
26. 32.

Quare cùm dictum sit quatuor genera animatorum, & quatuor genera animalium esse, restat adhuc inquirendum an in eodem vivente diversa reperiantur principia, nempè, vtrum in animali principium vegetandi contra distinguatur à principio sentienti, & ita in homine, an verò operationes omnes per unicum principium exerceantur, nempè vegetationum, sensituum, & intellectuum.

De

De motivo est aliqua dubitandi ansa,^{2. Terc.}
 nam Philosophus de anima explicans potē^{3.}
 tias animæ vegetativæ & sensitivæ, ait, sine
 vegetativo sensitivum non reperiri, separari
 tamen vegetativum à sensitivo, & in libris
 de generatione animalium : homo, inquit,^{2. Cap.}
 vivit primò vitâ plantæ, deinde animalis,^{3.}
 & tandem hominis ; ex quo aliqui desump-
 ferunt occasionem dubitandi, an plura prin-
 cipia in eodem vivente contradistincta
 dentur, & quibusdam visum fuit ita sentire,
 quasi tutantes sententiam Aristotelicam ;
 vnde alia adhuc pullulavit conroversia,
 datâ diversitate principiorum, dum em-
 bryo animatus est solummodo animâ vege-
 tante, delecto eo, an delectum sit ani-
 mal.

Quapropter sciendum est, illud dici
 animal, quod ita animatum est, ut non sub-
 ordinetur ad aliam perfectiorem formam à
 natura intentam ; talis verò embryo sub-
 ordinaretur ad aliam perfectiorem for-
 mam, nempè animam rationalem, vndè
 vt alibi dictum est, rectè canon inquit, si
 quis destruxerit fætum ante 40. diem, non
 est homicida : quia fætus non erat adhuc in
 esse vltimato constitutus, hinc talem fæ-
 tum innnonimum appellandum censemus ;
 destrueret ergò animatum, sed non animal,
 quia vivit primò vitâ plantæ, id est exer-
 cit operationes vegetabiles, demum sen-

7. Cap. sibiles, & postremò intellectio[n]is, ita Fer-
 nelius de hominis procreatione, atque de
 semine, an verò ex hoc possit expiscari tri-
 plex principium, non ita facilè est, & licet
 Philosophus dixerit dari vegetativum sine
 sensitivo, vt videre est in plantis, dubitare
 tamen aliqui voluerunt, annon & ipsis
 plantis sensus insit, vt videre est apud Ly-
 bavium in tractatu de agno sophistico, vbi
 plures adducit instantias de cucumeribus a-
 spersis oleo, de vite confita penes brassi-
 cam, de Heliotropio se vertente ad solem,
 de agno scitico fructu; sed quia hæc fabu-
 losa videntur, & ad inventa solummodo ad
 inducendos homines idiotas in admiratio-
 nem; vel id fieri dico an Antipathiam:
 Dicamus cum Aristotele de anima, nullo
 sensu plantas præditas esse, contra Anaxa-
 goram, & alios quosdam antiquos contra-
 rium opinantes, & sufficere deberet sola
 authoritas Magistri de anima, vbi dicit: Si
 2. Tex. autem sensum, & imaginationem, & appe-
 15. titum, vbi enim sensus est, & dolor, & volu-
 ptas consequitur; vbi enim hæc sunt, ex neces-
 sitate, & desiderium est: Dari 3. animas, seu
 tria principia in homine, non adeò absur-
 dum est, vt non possit sustineri; multi ete-
 nim antiqui ita Philosophati sunt, adeoque
 non absolute improbanda est hæc senten-
 tia,

Nihilominus tamen, dico illa princi-
 pia

pia separata existere in diversis viventibus, ut in plantis, animalibus, & homine; principium vero sentiendi non esse diversum in animalibus à principio vegetandi, unicumque esse continens eminenter virtutem, seu potentiam diversimodè operandi, quod & de homine dicendum venit.

Hæc sententia est contra Platonem in Timæo, qui intellectivam collocabat in cerebro: irascibilem in corde: concupisibilem in hepate: contra Galenum de usu partium, contra Zabarellam de facultatibus animæ, ubi afferit, nullam formam posse edere operationes ad aliam formam pertinentes; hinc triplicem concedit in homine gradum, imò eodem loco concepit in qualibet planta duas formas; desumpto argumento ex Aristotele in libris de ortu animalium, ubi afferit, non simul fieri animal, & equum, infert ille; ergò debet dari aliqua forma specifica, alias non diffaret specie lactuca à quercu; igitur præter animalm vegetantem, alia dabitur forma, quæ constituat esse talis speciei; hanc vero formam ait esse ignotam, nobiliorem quidem esse, ast non esse manifestam, cùm nobilior sit forma speciei, quàm generis; sed, quia in ejus quidditate explicanda obmutescit, fateturque se penitus ignorare ejus quidditatem, ita & nos non ulterius progrediendo cum ipso taceamus.

Una igitur anima in quolibet viven-
te, & hæc determinans esse, in brutis vnicarum
sensitivam, continens virtualiter rationem
vegetantis; ita in homine vnicarum, virtute
triplex, vegetativa, sensitiva, & rationa-
lis. Et hoc etiam sensisse videtur Magister

2. Tex. in libris de anima; vbi reprehendit Platoni-
25. nem plures animas in homine statuentem, imò eodem loco dicit se habere ea, quæ
sunt circa animam, atque ea, quæ spectant
ad figuras Mathematicas; semper enim in
eo, quod est consequenter est potentia,
quod prius est, & in figuris, & in animatis,
ut in quadrato quidem triangulus est, in
3. Tex. sensitivo autem vegetativum, ex quo in-
41. fertur, sicut in quadrato est triangulus so-
2. Tex. lùm in potentia quatenus continetur in il-
31. lo, & id ipsum confirmat licet obscurius de
3. Tex. anima, ita ut dubitandum non sit hanc
33. fuisse mentem Philosophi, sed hanc ipsam
sententiam defendunt acriter plurimi, ita
ut communis videatur: sed, quia sola au-
thoritas videtur claudicare, ideo etiam ra-
tionibus dicta comprobanda sunt, ideoque
hæc sententia istiusmodi comprobari po-
test.

Si in homine plures essent animæ, se-
queretur quod quilibet individualiter ho-
mo non esset animal unum, quia diversas
operationes à diversis formis obtineret; se-
cundò concessis pluribus animabus in ho-
mine,

mine, negari non posset dari individua viventia, quæ ad nullam speciem viventium pertinerent, haberet enim homo animam vegetantem, & tamen sub hac ratione vegetantis ad nullam speciem plantarum reducibilis esset; haberet principium distinctum sentiendi, neque tamen pari ratione ad ullam speciem bruti reducibilis esset.

Tertiò positâ illâ pluralitate animalium, ergò homo dum vivit vegetatur, alitur, crescit, & sic dum per principium sensitivum exercet actus sensationis, sequitur ex hoc, has operationes profluere à diversis formis, ex quo non erit essentialis prædicatio cum dicitur, homo est animal, siquidem ratio animalis non flueret à forma hominis, nempè anima rationali. Sed forte dicere quis posset; hoc prædicatum profluere ab utraque forma, sequela clarissima est: ergò homo non unum animal, sed duplex est; animal quidem rationale quantum fluit ab anima rationali, & irrationale, siquidem emanat ab anima sensitiva; sed quis non videt hoc paradoxum esse? & licet contrariam sententiam tenentes dicant, quod vegetativum, sensitivum, & rationale sint tria diversa esse, & cum idem à pluribus distinctisque formis prodire nequeat, prout neque plura esse distincta ab eadem forma, quæ est adæquata essentiæ causa. Responderi facile potest, concedendo idem esse

esse non posse proficisci à diversis formis, imò negantur suppositum, loquendo de diversitate formarum.

Dicimus igitur, idem principium essentialiter esse unum, virtualiter esse multiplex; animam verò in homine vegetantem non esse principium completum, & ultimè ultimatum, sed subordinatum, quod pari ratione de sensitivo declarandum est; nam vegetativum subordinatur ad sensitivum, & hoc ad rationale, ita ut hoc solum sit completum, & ultimum, nec subordinatum ad aliud, hinc essentialiter prædicatur homo est animal, quia actus vitalis sensus in homine ab hoc ultimo gradu emanat, ideoque alij gradus tantum eminenter, & virtualiter insunt, si verò actu, & separatis existerent, liquidum foret contrarium argumentum, vixque irrefragabilem obtineret, & hinc eruitur ratio, quare vegetativum, ac sensitivum in homine, ad nullam speciem plantarum, seu animalium referatur, quia non sunt principia completa, & insubordinata, imò taliter subordinata, vt intelligi nequeant, (nisi præcisivè intellectualiter) sine principio ultimato, ad quod subordinantur.

2. Text.

3. t.

Quæst.

34.

Hanc veritatem disertè explicat Javellus in libris de anima in tertio quæsito, vbi assignat triplicem continentiam formalem, materialem, & virtualem, pri-

mam.

mam ait dum consequens comparatur ad antecedens , ut superius ad inferius , & prædicatur de eo in primo modo per se.

Secundam , quando unum fundatur in altero , & non è converso , & hoc modo sensitivum fundatur in vegetativo ; siquidem omnis gradus viventis radicatur in vegetativo , eò quod omne vivens inferioris in nutritione , quæ est operatio vegetativi .

Tertiam virtualem , vel perfectionalem , quam asserit Magistrum appellare potentiam , idest potentiale , quod idem sonat ac virtualem , & est quando secundum continet in se eminenter totam virtutem primi ; sensitivum enim continet virtutem vegetativi , sed virtutem etiam sensitivi , ita ut quidquid potest primum , potest & secundum , sed aliquid adhuc amplius , & in hoc sensu dicit intelligendum esse Magistrum , vbi inquit : Semper enim in eo quod consequenter , est potentia quod prius est : id est vegetativum contineri potentiam , idest virtute activa in sensitivo , non ecquidem , quod sensitivum producat vegetativum , verum , quod potens sit nutrire , augere , generare , & idem sentire ; & idem sentendum de mente humana , & eandem dicendum est habere continentiam virtualem , idest virtutem activam vegetandi , sentendi , & ratiocinandi , maleque ab aliquibus

concedi solummodo passivè, activè quinimo
absolutè dicimus hanc continentiam in-
volvere virtutem, quibus ità enucleatis.

Vlterius disputandum est contrà di-
stinctionem animarum in eodem vivente:
quoniam si tales animæ essent realiter di-
stinctæ essent vltimò determinativæ in in-
dividuo, & singulæ constituerent hoc ali-
quid vltimò completum, scilicet plantam,
brutum, hominem; ergò homo esset hoc
aliquid tripliciter completum, similiter vi-
vens esset dupliciter hoc aliquid comple-
tum, scilicet planta, & brutum, sed quis
hoc dicet? Etenim quando sunt plures for-
mæ in eodem subiecto, vna prædicatur de
altera per accidens; vt album est dulce; er-
gò animal prædicabitur per accidens de ho-
mine solum, cùm prædicetur vnum de a-
lio, quiā illæ formæ sunt in eodem subiecto;
vel igitur vna forma prædicatur de altera
per se, & tunc requiritur, ut illa forma, quæ
taliter prædicatur contineatur in alia, aliæ
falsa erit propositio, siquidem cùm dicitur
homo est animal, homo debet includere in
se ipsum esse animalis, igitur forma hominis
debet esse forma animalis, quare nulla ne-
cessitas cogit afferere, quòd detur alia for-
ma in homine, quæ tribuat esse animalis.

Sed quid opus est longa verborum se-
rie, si superiùs dicta possunt confirmari ad
hominem, quis enim negaverit, quod ani-
ma

ma rationalis unita materiæ det illi esse substantiale? ergò vel corporeum, vel incorporeum: non hoc; quia quidquid habet materiam, & quantitatem, corporeum est, ergò corporeum, & sic aut vivens, aut non vivens: non hoc; quia anima est principium vitæ; ergò dabit vivens non insensibile, ergò sensibile, & sic rationale; una ergò anima tribuit omnes hos gradus: & sanè si veritatem offuscare non præsumerent illorum bonâ veniâ dictum sit ipsa experientia diluit argumentum; dicant adversarij, an homo possit eodem tempore, & cum efficaci intentione, & applicatione exercere operationes plurium animarum, nempè cum vehementer speculamur, an vehementer etiam possimus exercere functiones sensibiles, si dixerint quod ita, joci causa dictum esse quisque existimabit; vnde, qui plurimum student non bene nutrituntur, imò pallescunt, ut plurimum, quod certè non eveniret si darentur in homine plures animæ distinctæ, quarum quælibet suas functiones independenter exerceret ab altera, ex quo concludendum est, unicum esse principium omnium functionum. Sed cum in homine pluralitatem animarum admittant utrum in Christo id ipsum adstruant, ambiguum est; siquidem notum est, quod Christus ut homo nullam habuerit differentiam ab aliis hominibus in

partibus essentialibus, & ratio est; quia aliis non esset univocè homo cum aliis.

2. Cap. Restat adhuc diluendum, quod ex Philosopho obijciunt de generatione animalium; existimant enim intelligendum esse in actu primo, non in actu secundo, quoniam nempe ad operationes respectu organorum, vel etiam responderi posset cum Aquinate, & Conimbricensibus, hominem verè vivere priùs vitâ plantæ, sed adveniente principio sensitivo, deperire prius, & hoc non dari triplex nisi eminenter.

Verum hæc responsio aliquibus non satisfacit; inquiunt enim, si interit vegetativum, necessariò debet dari causa corruptiva; quia vero nulla assignabilis est; ideo concludunt hunc modum procedendi non dari in natura siquidem, vel corrumpentur ab agente contrario, vel à defectu subjecti, non ab hoc: quia semper remanet, non pariter ab illo; quia nullum tale datur; siquidem anima vegetativa, sensitiva, rationalis non contrariantur, cum substantia nihil sit contrarium, immo una dicitur esse dispositio ad alteram, & dispositiones vnius animæ non sunt contrariae dispositionibus alterius animæ; siquidem dispositiones necessariae ad animam vegetativam, debent manere cum anima sensitiva, & istius cum rationali.

Dicendum ergo est, providam natu-

ram

ram nihil frustra facere , & cùm dictum sit
 animam habere virtutem exercendi mu-
 nia non solum respectu proprij gradus ad se-
 spectantia , verùm etiam ad alias ; suspen-
 dit ergò natura , influxum conservativum
 animæ prioris , & hinc absque ullo contra-
 rio cessat gradus prior ; introducuntur enim
 dispositiones nobiliores ; siquidem ad præ-
 stantiorem formam introducendam nobi-
 liores pariter dispositiones introduci de-
 bent , ex quibus præsuppositis anima que-
 est in semine expurgiscitur , & de actu pri-
 mo erit in actum secundum , nempe de po-
 tentia operandi ad ipsum operari alioquin
 si anima posterior haberet virtutem exer-
 cendi munia animæ prioris eadem rema-
 nente , frustra natura tribuisset illam virtu-
 tem posteriori , falsumque foret dicere ,
 quòd natura nihil frustra faciat operando
 juxta propriam intentionem ; quòd acci-
 dere videmus in productione monstrorum ,
 vbi manifestè apparet error , & non inten-
 tio naturæ , Albertus verò lib. de origine a-
 nimæ ait ; non esse explicandum Philoso-
 phum in sensu litterali , sed mystico , idest
 primo apparere operationes vegetativas
 tanquam ignobiliores ; nam in naturalibus
 taliter est progressus , vt ab ignobiliori tran-
 seundum sit ad nobiliorum , non è converso , &
 hoc fieri progressivè , non instantaneè ; li-
 cet idem teneat quòd in eodem instanti in

quo fætus animatur in utero , introducatur anima rationalis , præsupponit verò semen non esse animatum , & animam rationalem introduci seu infundi immediate in ipso conceptionis momento , ideo omisssis his.

Videamus quid alij dicant , afferunt equidem aliqui , quod passiones genere diversæ non possint ab unica entitate promanare , & clarum esse quod passiones in homine prodeentes à diversis animabus sine diversæ adeoque non posse ab uno , & indivisiibili principio oriri .

Verùm hoc argumentum quod indissolubile existimant , nullam respondendi includit difficultatem ; concedimus enim passiones derivantes à diversis animabus completis , & vltimatis , non posse scaturire ab uno eodemque principio , secus verò statuendum est de passionibus promanantibus à principiis radicaliter non diversis nec completis , nec existentibus in esse vltimato ; nam si illa entitas vnica de qua dictum est , pro sua perfectione contineat diversarum entitatum virtutem , tunc possunt passiones diversæ provenire ab illa , veluti à principio radicali ; siquidem illi omnes debentur , sic etiam lumen est productivum lucis , & caloris , licet sint qualitates specie diversæ .

Imò illorum argumentum videtur de-
sumpsisse originem ex ipso Philosopho de a-
nima

nima, ex quo ita argumentantur: operationes contrariae non possunt effluere ab eodem principio; sed in homine sunt operationes contrariae; ergo. Cui objectioni respondendum est ut supra, quia istae operationes procedunt à principio, vel completo continente eminenter virtutem aliorum principiorum, vel certè ab incompleto, ut dum in embrione ante adventum animæ rationalis sensitivum exercet operationes vegetativi, eas tamen, ita exercet, quia virtualiter illas in se continet, & perfectio sensitivi debet perfici à perfectione vegetativi, ideo operationes illæ non sunt propriæ contrariae; non enim videntur esse circa idem objectum formale, sed circa diversa; siquidem idem objectum, quatenus habet rationem boni delectabilis appetitur appetitu sensitivo, quatenus verò repugnat honestati receditur ab illo appetitu rationali, atque adeò videntur operationes diversarum potentiarum, non tamen contrariae; & hoc videtur intelligere Aristoteles loco supra citato, dum inquit: quoniam autem appetitus fiunt contrarij ad invicem.

Multa pariter alia argumenta adducuntur ab Adversarijs, sed quia longum nimis esset omnia in medium afferre, ideo ijs declinatis unum adhuc licet examinare, & hoc est, cum dicitur homo formaliter est vegetatus, & sensitivus; ergo continet

formaliter animam vegetantem , & sentientem :

Adventendum tamen est , ly formaliter duobus accipi posse modis , vel eminenter ; quando unum est perfectius altero , ut sol eminenter continet calorem , vel quando accipitur in genere causæ formalis , dum unum præstat totum illud quod præstat alterum , licet aliquid præstet etiam formaliter , & in hoc sensu anima rationalis est formaliter vegetativa , & sensitiva ; quia informando subiectum facit illud verè , & formaliter esse vegetativum , & sensitivum , licet possit formaliter sumi aliquando ly vegetativum , pro eo quod est principium tantum vegetandi cum exclusione gradus sensitivi , & rationalis ; quod etiam dicendum est de sensitivo , sed hoc modo sumptum formaliter reducitur ad principium illud , quod completum est , nec subordinatur ad aliud , nec dubium ullum est , quod in hoc sensu sensitivum formaliter includat vegetativum , unde clarius explicando dico , formaliter me intelligere id , quod absolute in genere causæ formalis tribuit illos effe&us , licet tribuat etiam ulteriore gradum rationalis , quem ulqui vocant formalem eminenter .

His ita prælibatis , cùm dixerim semen esse animatum , & gradum rationis in anima continere eminenter in se alias duos , in

in eodem vivente plures non dari animas , videndum nunc est , quâ animâ semen nunc animatum sit , utrum id quod profusum est ad procreationem hominis sit informatum forma rationali.

Plurimi existimant mentem humam inesse semini in primo generationis instanti , ita Zabarella de facultatibus animæ Cap. 8.
Daniel Senertus Hyponin. 4. ubi in longum disputat vnicam , eamque rationalem animam reperiri in homine , quam in primo generationis instanti adesse adstruit , virtutesque in se continere aliarum inferiorum , eam tamen cum semine transfundi , ac propagari , verùm cum hoc adversetur , & sacris paginis , & authoritatibus , ideo prætermisis his descendamus ad institutum .

Transfunditur igitur primò semen in matricem animatum animâ sentiente , virtualiter & vegetante , quæ habet facultatem hujus , nempè vegetabilis , idest nutriendi , & augmentandi , quo usque sint perfecta organa requisita ad sensationem , quibus ritè Dispositis , tūm demum incipit exercere munia spectantia ad sensationem , idest his expletis , cum requisitis dispositionibus , & organis , tunc illud principium exit in actum secundum , sentiendique vim demonstrat , cùm sensitivum , sine vegetativo dati nequeat (loquor in brutis & homine)

quidquid enim sentit vegetatur, non verò omne vegetabile est sensibile, ut aliqui falso de plantis opinati sunt, & quia, ut cum Aristotele loquar in initio tertij de anima, quælibet pars animæ, hic gradum intelligit, propria respicit organa, & requirit debitæ dispositiones ad operandum, undè ut orthodoxè loquamur, his adamussim præparatis Deus infundit mentem, quæ supplet vices duorum priorum graduum; an verò dentur aliæ formæ partiales, quæ vices gerant dispositionum, & quasi dicantur præparantia ad introductionem formæ totalis substantialis, hic disputandum non est, has enim aliqui admittunt ratione partium etherogenearum in corpore vivente, quod videntur desumere ex Aristotele de generatione animalium, & libro de juventute & senectute, ubi docet, in animali priùs generari cor, & postea alias partes, idque priùs quam adveniat mens, mentis verò nomine ignotum non est eum intelligere animam rationalem, undè ex hoc eodem loco desumitur Aristotelem censuisse animam hærere in semine, quare dicendum est cum ipso Philosopho de generat: animalium mentem humanam creari à Deo, infundiique corpori organizato ad exercendas actiones mentales, hacque adveniente cessare præcedens principium, cùm hæc in se illud virtualiter ex jam dictis contineat.

Prima pars conclusionis patet ex locis supra citatis, secundò probatur: quia, quod creatur à solo Deo producitur; ast anima rationalis creatur, ergò: nam nulli seu Angelo, seu animæ, minus corpori patet concessam esse de facto virtutem creativam, minor verò probatur, quia quod independenter producitur à subiecto creatur, si ad sint quæ requiruntur, sed anima rationalis ita producitur, ergò: nomine verò *producitur* intelligenda est actio creativa, quæ animam rationalem collocat in corpore de non esse aedesse, nullo sui præexistente esse, producitur tamen in ipsa materia disposita, non verò ex materia; unica enim actione producitur nempè creativa, & alia unitur nempè generativa.

Anima igitur rationalis sola, & unica statuenda principium omnium actuum vitalium in homine contra Philonem Ju-^{In 4.}
dæum libro quod deterius insidietur potio-^{quæst. 7.}
ri: Ocham. Mirandulanum de ever-^{Lib. 23.}
sione ponentes in homine duas animas ra-^{Leff. 2.}
tionalem, & sensitivam, & contra omnes illos, quos referre supervacaneum duci-
mus, qui in brutis duas etiam ponunt realiter distinctas, vegetativam nempè, & sen-
sitivam: imò cum D. Thomo constanter ^{2. Cap.}
dicendum est in libris contra gentes, unam ^{58.}
solam reperiri animam, virtute multipli-
cem, eminenter, quod idem est dicere,

triplicem in actu secundo , unam eamque
 simplicem in actu primo ; nec quidquam
 facit quod Aquinas eodem loco afferat ad-
 veniente sensitiva deperire priorem , hac
 enim de re fusè supra disputatum est : qui-
 nimò nisi fides , quæ est rerum non appa-
 rentium argumentum , contrarium doceret ,
 & nos mentem traduci cum semine statue-
 re non abhorreremus , sed quia captivans
 dus est intellectus ; neque quærenda est ra-
 tio naturalis in ijs quæ humānum captum
 excedunt , vt clarus igitur dilucidemus ,
 dicimus principium vegetandi , & sentien-
 di cum semine transfundi ultimum forma-
 liter , virtualiter primum , differentiam ve-
 rò ultimam nobilissimam infundi , juxta il-
 lud : & inspiravit spiraculum vitæ , vitæ
 quidem præstantissimæ , adeò , vt idem Ari-
 stoteles loco supra citato de generatione a-
 nimalium coactus fuerit eam appellare di-
 vinam , quasi particularem divinitatis par-
 tum ; hinc faciamus hominem ad imagi-
 nem & similitudinem nostram ; si enim
 considerate pervolvantur Aristotelica ope-
 ra , facile comprehendemus eum omnes sa-
 cras paginas perlegisse , vt disertò ostendit
 Fortunius Licetus in suo libello de pietate
 Aristotelis erga Deum , & homines ; nec
 dubitandum est Magistrum perlegendō Ge-
 nesim vidisse etiam illud : Deus inspiravit
 in faciem hominis spiraculum vitæ , & sic
 fa-

factus est in animam spirantem ; illud verò spiraculum vitæ est anima rationalis ; ergo per illam habet homo absolutè ut vivat omni vitâ quâ vivit , quâ adveniente cum D. Thomâ cessat sensitiva , tanquam ignobilior.

LUCUBRATIO X.

An Anima sit in toto corpore uiuentis?

An in aliqua parte determinata?

PRætermisssâ disceptatione de divisibilitate , vel indivisibilitate animæ , de qua in sequenti lucubratiōne ; jam solum investigandum est , an anima resideat in toto corpore , ut sede sibi connaturaliter adæquata , an certè in aliqua , aut aliquibus partibus illisque determinatis , tanquam ad id dispositis , ita quidem , ut licet divisibilis foret , aut indivisibilis , id accidat . Antiqui Philosophi , qui tempore præcesserant Aristotelem , existimarunt animam secundum propriam substantiam seu entitatem minimè residere in toto corpore , seu adesse toti , sed in quadam illius parte , ut Rex enim , dicebant , ex arce imperat , ac leges promulgatas adimpleri jubet : verūm quæ sit illa pars , quam hoc privilegio gaudere dicebant , non ita planum est , inter illos ta-

men existimarunt aliqui esse cor , vt videre
est apud Conimbricenses de anima.

z. Cap.

1. quæst.

2. art. 2.

Alij verò hanc animæ sedem attribue-
bant cerebro : sciendum verò est , non esse
hic quæstionem an anima secundùm suam
essentiam tota sit in qualibet corporis par-
te , an non tota in qualibet parte essentiali-
ter ; quia tali modo dicendum foret eam
habere partes essentiales , quod fari non po-
test ; cum enim sit forma , est substantia sim-
plex nullas habens partes essentiales , illa
ergò particula tota intelligenda est , an in
parte aliqua determinata solummodo ope-
retur.

Plato , ut supra dictum est , finxit tres a-
nimas in homine , concupisibilem enim
collocavit in jecore , irascibilem in corde ,
& ratiocinantem in cerebro , contra quem
Aristoteles argumentatur ad hominem de-
sumendo vini argumenti ab animalibus
imperfectis , quæ in partes divisa supervi-
vunt , & easdem exercent operationes par-
tes disjunctæ , quas conjunctæ exercebant ,
alias una in parte una , alia in alia exerce-
da fuisset , ubi autem reperibilis est opera-
tio , ibi & facultas & animæ substantia , qua-
re concludit omnes animæ partes reperiiri in
singula animalis parte , partes verò animæ
summit nomine totius , vt inferius videbi-
tur , dum de divisibilitate , ac indivisibili-
tate animæ pertractabitur .

Qua-

Quare rectè Julius Cæsar Scaliger: Exerci.
Nulla inquit apud me viget ratio, quæ mihi 307.
persuadeat, animam nostram, substantiam Sect. 5.
immaterialem, Dei quasi particulam quan-
dari, ullo modo esse compositam, præsertim ex
duobus actu contrariis: Anima qua tota sit in
quacunq; parte corporis quomodo partes ha-
beat in se simul actu contrarias duas, & sub-
dit, esset enim homo, unum, quasi cumu-
lus, partibus coagmentatis, non verus ho-
mo, sed verus Geryon, veraque chy-
mera.

Quare dico, animam esse formam in-
 formantem totum corpus, omnesque illius
 partes, & fingillatim quidem quālibet, to-
 tamque in toto, totamque in qualibet sin-
 gula parte essentialiter, & substantialiter re-
 sidere, ut dictum priùs fuit, Conclusio hæc
 est omnium rectè, & Orthodoxè sentien-
 tium, multas tamen easque graves patitur
 difficultates, quas enucleatim perscrutari
 lubet, ad hoc, ut manifestiūs appareat non
 ex solis operationibus exercitis in quibus-
 dam particulariter corporis partibus con-
 clendum esse, in illis tantum animam
 essentialiter residere, sed aliundè id prove-
 nire, & antequam diluantur objectiones,
 quæ adduci possunt, conclusio primo pro-
 banda venit.

Aristoteles definivit animam, quod 2. Tex.
 sit actus corporis organici, ergò informat⁶.
 totum

totum corpus organicum; quare docet si dī-
gitus, aut manus &c. animā carent, non esse
ampliū talia nisi æquivocè; ergò dum sunt
verè, & univocè talia putat in illis esse ani-
mam; sed aliquis posset dicere Philosophum
existimasse animam esse divisibilem, mani-
festam hujus objectionis falsitatem sequen-
ti lucubratione demonstrabo.

Ulteriùs comprobatur, in toto corpo-
re sunt operationes vitales, & in qualibet
illius parte; totum enim corpus nutritur,
& augetur; ergò in toto corpore, & in qua-
libet parte est anima, sed hic alia insurgit
difficultas, nam in toto adesse non negatur,
cùm sit actus corporis, corpus verò inclu-
dit totum, an verò in qualibet parte tota sit,
in hoc latet difficultas; sed ut sequenti lu-
cubratione ostendemus suppositâ ejus in-
divisibilitate, quam demonstrabimus cor-
ruerat ansa dubitandi: Unde cùm actus vi-
tales non possint elici, nisi ab anima sub-
stantialiter præsentet, & cùm hæc indivisi-
bilis sit, ut videbitur, sequitur, ratione il-
lias indivisibilitatis totam esse in qualibet
corporis parte, aliàs non essentialiter in
qualibet parte operaretur, sed per quandam
solummodo irradiationem, vt dicitur de
sole, qui operatur per radios suos solares; a-
liter verò contingit cum actibus vitali-
bus, qui immediate eliciuntur ab ipsa sub-
stantia vitæ, illa verò non potest agere in

distant; ergo ibi debet esse informare anima, ubi est operatio, & si hoc negetur vix ostendi poterit in qua parte corporis sit anima: quare ipse Aristoteles eam definiens, ^{2. text.} ejus definitionem orditur ab effectibus, ^{24.} nempè à notiori nobis, cum ex actibus vitalibus facilis sit cognitio vitae; nullius enim momenti est, quod ab aliquibus adferatur, quod operationes quædam, quæ in aliquibus partibus exercentur, quod proveniant à spiritibus à corde, vel cerebro transmissis, nam negandum non est, spiritus animales transmitti à cerebro, vitales à corde ad reliquas partes animalis pro exercendis functionibus animalibus, & vitalibus necessarios, ipsimet tamen adversarij negare non poterunt necessum esse ipsam etiam animam adesse informativè cum actione vitalis non possit procedere, nisi à principio vitali intrinseco siquidem, si quid ab aliquo alio extrinseco moveante moveatur, non potest talis motus dici vitalis, alias motus lapidis ab homine illi impressus, & motus Cæli ab Intelligentia causatus dici possent actus vitales, & sic verum esset dicere lapis, ac cælum vivit, unde spiritus sunt conditio necessaria, non vero principium operativum.

Quomodo autem anima sit in toto, & tota in qualibet parte adeo obscurum est, ut Scaliger admiretur offuscationem intellectus

307. sect. Etūs humani in suis exercitationibus vide-
 29. mus inquit angustias nostri intellectūs, qui di-
 cere ausus est, se se comprehendere species sub-
 stantiarum, quin latet nos exquisita illa cogni-
 tio, scilicet, quomodo ex duobus unum fiat,
 quomodo forma sit in toto, & in quacunque
 parte tota, adeo divina res forma est, ut cum
 sit substantia, aliam totam sui impleat substan-
 tiam, ita, ut ex utraque fiat unum. Quare
 ulterius disquisitio morosi, atque sat agentis
 animi est, humanae enim sapientiae pars est,
 quedam aequo animo nescire velle.

Et sanè quasi hydræ abscisa capita re-
 pullulare denuò videntur difficultates;
 nam si anima residet tota in qualibet parte,
 quomodo igitur, quod continuo experi-
 mur, ex accretione, & generatione novæ
 partis ad informandam partem novam ex-
 tenditur anima? nam prima fronte vide-
 tur migratio formæ de subjecto in subje-
 tum, quod in bona Philosophia parado-
 xum est, imò videtur hoc modo anima per
 se mobilis contra Philosophum, qui in
 Physicis docet sola corpora per se mobilia
 esse, & in libris de anima, hanc tantum mo-
 bilem esse per accidens ad motum nempe
 corporis.

Zabarella conatur multis verborum
 extensionibus satisfacere his objectionibus
 de accretione, & ut solveret hæc duo dubia
 duplarem generationem animæ statuit,

quo-

quarum primam propriam , impropriam
alteram appellat , illam generari in corde
tanquam principio vitæ , in eodem educi de
potentia materiae ; hanc vero adnatis cordi
cæteris membris innasci in eis animam ,
non vero amplius per educationem è mate-
ria , sed per derivationem à corde , & per in-
fluxum ab illo principio ad alia omnia , &
hoc modo solvit dubia ; inquit enim , non
transit de subjecto in subjectum , sed per in-
fluxum ab anima cordis informatur & no-
vagenita materia , si enim anima dividua
esset , & una pars transiret ad informandam
aliquam aliam partem corporis noviter ge-
nitam vera esset transitio de subjecto ad
subjectum , & tunc verum foret quoddlibet
membrum ab animali separatum aliquan-
diu viveret (intelligendum est de animali
perfecto) Siquidem si membrum non ha-
bet animam à corde influentem , sed in ipso
primo instanti exortam , nulla erit ratio con-
vincens , cur membrum separatum à toto
non possit aliquandiū animam retinere ,
cum substantialis interitus non fiat nisi præ-
via alteratione , quæ subitanea , & instan-
tanea esse non potest , sed necessè est eam fie-
ri in tempore , & idem sentit dicendum esse
qualibet particula carnis : quod tamen ex-
perientia , & sensui repugnat , alias quoque
adducit rationes ad suam mentem confir-
mandam , quas præterire duxi ne nimium

in longum videar hanc quæstionem pro-
trahere.

Dico verò hic non quæri solūm de a-
nimā vegetante , ut Zabarella videtur in-
telligere , ex eo quod triplex principium di-
stinctum statuat in homine , sed de anima
rationali , quæ gaudet privilegio vnius so-
lius principij virtualis tamen , in se conti-
nentis eandem facultatem , quam in di-
versis subjectis animatis diversa habent
principia , hinc rectè cum Aristotele de ge-
nerat: animal: dico materiam , & quantita-
tem minui , formam verò manere , & ad
materiæ partes fluentes , non fluere animam
seu formam , sed totam remanere , & ad re-
liquam materiam restringi ; etenim si sub-
stantiam quoque formæ in particulis mate-
riæ fluentibus , & fluere cum materia existi-
masset , nullum materiæ , & formæ discri-
men statuere potuisset ratione fluxus , vel
permanentia , nam eadem ratio de vtraque
esset , quare hinc eruitur ratio quod non
transeat de subjecto in subjectum , quoniam
hoc denotat , deserto primo subjecto transi-
tionem ad aliud , quod de anima indivisiibi-
li sejuncta à materiâ , nullatenus partes
quantitativas habente aliter sentiendum
est ; hinc si ignotum nobis est tantum my-
sterium , quomodo id fieri possit admire-
mur potius animæ excellentiam cum Sca-
ligero loco supra citato , quām investige-
mus

mus Creatoris admirandum arcantum, nam
 & Aristoteles solummodo comparativè de-
 scripsisse videtur, dum comparat corpus v-
 tri aquâ fluente pleno quod augetur, vtri
 dicit similem esse formam ejus, quod auge-
 tur, aquæ verò fluenti similem esse mate-
 riam; aqua enim semper fluit per vtrem
 manente tamen vtre sine fluxu, sicut etiam
 forma ejus quòd augetur, non fluit: hujus
 etiam opinionis fuit D. Thomas cum mul-
 tis aliis, & resolvitur pariter secunda diffi-
 cultas, quâ dicitur, si eodem anima infor-
 maret partem noviter genitam, sequeretur
 quòd anima moveretur, dicimus hoc mo-
 veri dupliciter intelligi, aut enim propt̄ di-
 citur anima intelligens mouere, aut propt̄
 moveri competit motui locali, qui per a-
 quisitionem novi, ubi fit deperdito prio-
 ri, & secundùm hunc sensum Aristoteles
 non admisit motum in anima, nam cum
 impartibilis, ac indivisibilis sit, non transit
 de subjecto in subjectum, neque ei compe-
 tit motus localis, movetur verò ab intrin-
 seco, dum operatur, imò principium est
 motûs localis, licet ipsa eo motu non mo-
 veatur, nisi ad motum corporis; etenim
 pertractans de anima duplia ait reperiri
 genera animatorum, aliud se loco movens,^{2. Tex.}
 aliud se loco non movens, subditque dictum ^{16.} Tex. 18.
 sit solum, quòd anima est horum, quæ dicta
 sunt principium: quapropter, ut optimè

Cap. 12. Zabarella annotavit de accretione, & nutritione, Aristoteles triplicem accretionis conditionem statuit, quarum primam, quod ea fiat ex materia extrinsecus accedente, secundam quod idem quod augetur, numero ab initio usque ad finem permaneat, & tertiam demum quod non totum solum, sed omnes partes aliquod incrementum suscipiant, verum quomodo ex accedente materia corpus vivens augeatur: vi-

Lib. 5. deatur Philosophus, qui in Physica auscultatione accretionem ab aliis mutationibus sejunxit ratione terminorum, qui ex diversis categoriis desumuntur; generatio siquidem, & interitus est mutatio de substantia in substantiam, alteratio de qualitate in qualitatem, & imminutio de quantitate in quantitatem, etiam latio de loco ad locum; quare inter has omnes est differentia essentialis desumpta à terminis, unde accreta aliqua parte corporis, non dici potest accreta & anima; quia nullam habet dependenciam à quantitate, & cum quantitas, ut existimamus, dicat in suo formalis conceptu principium impenetrationis, quod nec animæ, nec Angelis competit, hinc rectè dicitur animam ad informandam novam aliquam partem materiæ, non extendi quantitatè, sed coextendi: Quare Fortunius Licetus de animæ coextensione, duplicem statuit extensionem, unam magnitudi-

**Accre-
tio.**

2. cap. 4.

tudinis, ac materialem, quæ soli quanto
 corporeo inest, alteram formalem, ac sub-
 stantiæ incorporeæ, & addit, quod etsi hæ
 duæ extensiones materialis scilicet & for-
 malis, analogiam, proportionem vè inter
 se habeant, quòd utraque certis terminis
 rem definitam coérceat, Deus enim solus
 totus ubique est, in eo tamen differunt,
 quòd extensio formalis rem, cui competit
 non efficit de genere quanti, nec necessariò
 divisibilem, sive per se, sive accidens:
 materialis verò extensionem facit quan-
 tam, & divisibilem: & hinc Scaliger in suis ^{259.} Se-
 exercitationibus declarat animam esse ex-
 tensam sine quantitate prædicamentali, di-
 stinguendamque esse extensionem propriè
 dictam ab extensione analogicè sumpta;
 extensio propria est quantitatis, & corporis,
 quæ habet partes ita dispositas, ut ubi una
 est, altera esse non possit: anima verò etsi
 corporibus conjungatur tanquam ens in-
 completum, quia corpora dimensa, & ex-
 tensa informat, & ipsius virtus repletiva,
 quod magis propriè putamus competere,
 quam virtutis extensivæ nomine, tanta est,
 quantum corpus ipsum, corporis dimensio,
 & ipsum, quantumlibet excrescat, nulla
 parte addita replet, neque enim alia animæ
 pars est in oculo, alia in aure, nec in juve-
 ne, aut viro major, quam in pubere, & li-
 cit claudicet similitudo, quia Deus à se ipso

est, tamen, ut hic immensus & infinitus est ubique, non habens partem extra partem, quia est ens simplicissimum, aliquali pariter modo dicendum est de anima, quia totum corpus replet, nec habet partem extra partem, & quæ hucusque dicta sunt de anima rationali dicta esse volumus, quasdam enim animas consistentes in esse completo quantitativè, id est fluere cum fluxu materiae certum est ex ipsomet Philosopho ex libris de anima ubi docet, animas quasdam se multiplicare, ex eo quòd aliquæ plantæ divisæ se junctæque videantur vivere, propterea quòd anima quæ est in ipsis, actu quidem in unaquaque planta est una, potentia verò plures, quod & in animalibus quibusdam anulosis, & serpendo progressientibus concedit, verùm hoc ad nostrum institutum non est. Hoc aliquibus dedit occasionem investigandi, si Philosophus enim concedit in plantis divisionis vitam, quare non etiam idem erit assertendum de ipsis, quæ semine propagantur, ita ut dici possit anima una, potentia verò plures, verùm hoc objectum nihil officit ipsis, quæ hucusque dicta sunt, nam concedimus libenter unam animam unumque principium in homine, virtualiter tamen triplex, sed ex hoc nihil inferri potest; si enim perly potentia intelligent educationem, quam longa multi verborum serie demonstrare

nituntur , hanc superius non dari abunde
ostensum est ; Anima ergo informat totum
corpus , & simul omnes partes , & ita qui-
dem , ut tota sit in qualibet parte informa-
ta , tanquam forma immaterialis , carensq;
omni quantitate , idque fieri per solam ex-
tensionem formalem supra declaratum est ,
quæ congruè potius vocanda esset repleti-
va , replet enim informando materiam , ita ,
ut si pars aliqua obtruncetur anima minor
non fiat , & si de novo partem aliquam re-
pleat vel informet , neque major propterea
fiat , nam nunc non est disputandum cum
Zabarella in libro de sensu agente , ubi osten-
dit omnem formam esse sui multiplicati-
vam , & de facultatibus animæ , docet ve-
getantis animæ conditionem propriam es-
se , ut generans exhibeat aliquid de sua ma-
teria , atque aliquid de sua forma ; quia cum
in homine unicum tantum concedamus
principium , nullo modo admittere possu-
mus , quod generans tribuat aliquid de for-
ma , quia taliter tribueret aliquid de anima
rationali , & ita prætereunda esset creatio .

Possent quidem adversarij inferre : si
anima rationalis est tota in qualibet parte ,
ergo qualibet pars hominis est homo ; ani-
ma enim hominis tota unita materiæ con-
stituit hominem , responsio contra eos , qui
dicunt animam principaliter , & essentiali-
ter residere in corde , aut cerebro in aliis

Cap. 5.
Cap. 11.

partibus tantum per irradiationem ; ergo
cor est homo , ergo cerebrum est homo.

Responsio verò propria est , quod ho-
mo directè dicat totum compositum ex a-
nima rationali , & corpore diversimodè or-
ganizato , & ad omnes vitæ functiones ac-
commodato , quale conflatum non est cor,
aut cerebrum , hinc consequentia adversa-
ria claudicat.

Nec pariter quidquam ad rem facit ,
dùm dicunt , tota anima rationalis est in
qualibet corporis parte ; ergo abscissâ manu
tota anima tollitur , sic eadem anima eo-
dem tempore movebitur , & quiescet ; in
una enim manu quiescet , & in altera mo-
vebitur ; tertio ejusdem animæ potentiarum
erunt ubique , ergo videbit in calcaneo , er-
go audiet in oculo , & sic à partium enumera-
tione.

Respondendum ad primum negando
consequentiam ; nihil enim per abscisio-
nem alicujus membris sit aliud , quam quod
auferatur pars unionis animæ rationalis ad
materiam illius membra , nec mirum est ;
siquidem in aliquibus animalibus amputa-
tur pars animæ cum amputata parte cor-
poris.

Ad secundum nihil absurdii sequitur si
dicatur animam in duobus locis existen-
tem , in uno posse quiescere , in altero mo-
veri ; movetur enim motu partis , & quie-
scit quiescente parte altera.

Ad

Ad tertium dicimus , potentias identificatas animæ esse in toto corpore , simul , cum non distinguantur ab anima realiter , negatur verò consequentia , quod indifferenter possint edere operationes in omnibus partibus ; quia operari non possunt nisi per organa , quæ si uniformiter extarent in omnibus partibus , sine ullo scrupulo concederemus consequentiam ; nam anima uititur immediate organis pro exercendis functionibus , quare calcaneus non dicitur videre , licet in ipso entitativè sit potentia visus ; nulla enim in calcaneo sunt instrumenta requisita ad visum .

Unde rectè dicimus , omnes partes hominis , quæ informantur anima quatenus unico principio , participare entitativè , & essentialiter de omnibus gradibus simul , & formaliter in se continere omnes gradus , nempe vegetativi , sensitivi , & rationalis , & quia potentiae organicæ , ut sàpè dictum est operari nequeunt , nisi mediantibus organis , hinc provida , & sagax natura , cuique membro donavit instrumenta apta , & sufficientia ad operandum : etenim si omnes partes corporis etherogenei ijs uniformibus organis condecorasset , non harmoniam , sed dissonantiam corporis constituisset , ejusdem enim speciei operationes à qualibet seorsim parte editæ fuissent , sic disconcertus , non concertus fuisset in republica cor-

porea, ideo ergo ratio hujus conclusionis desumitur ex indivisibilitate ipsius animæ, ex qua manifestum est, quod cuilibet parti communicet informando totam suam entitatem, & cum in anima rationali omnes tres gradus identificati sint, indè etiam clarum est eandem communicare cuilibet parti omnes illos tres gradus; mirum igitur non est, quod videamus diversitatem operationum prodire ab eodem principio, si quidem cuilibet in Philosophia versato constat, quod si forma aliqua plures gradus Metaphysicos in se continens potest tribuere effectum formalem secundum unum gradum, licet non tribuat secundum alterum, quod nihil absurdum sequatur, & haec sufficient, quæ hucusque dicta sunt.

LUCUBRATIO XI.

An Anima sit partibilis, & divisibilis.

Et an potentiae distinguantur realiter ab anima.

Divisible tripliciter dici potest, prout & indivisible; illud quidem primò, quatenus constat aliquid materiâ, & formâ partibus essentialibus; secundò divisible dici potest Metaphysicè, quatenus aliquid constat genere, & differ-

rentiâ ; tertio dicitur aliquid divisibile integraliter , quia constat partibus integralibus.

Primo igitur modo animam non esse divisibilem manifestum est , quandoquidem constare deberet materiâ , & formâ .

Secundo modo neque , et si anima spiritualis sit , sermo est de rationali , ratio est , quia res spiritualis dividitur in Angelum , Angelus verò in Michaelem , & Gabrielem metaphysicè , prætermisis illis qui dicunt posse dari materiam spiritualem , quod ad Philosophum non spectat ; quæstio verò est , an anima quatenus spiritualis est , divisibilis sit in partes integrales .

Verùm antequam vteriùs procedamus inquirendum est , quis sit conceptus entis corporei , & spiritualis : res ergò corporea in suo conceptu formalí includit ordinem seu respectum ad rem habentem partes integrantes , & ita res spiritualis , quæ nullo modo respicit rem habentem partes integrantes , undè corporeum respicit rem quantam seu quantitativam cum dependentia ab illa , aut cum connexione essentiali in actu secundo , ita , ut conceptus rei materialis per se primò dicat ordinem ad quantitatē principium impenetrationis , seu ad rem quantam aptam extendi per quantitatem cum dependentia , aut certè connexione adæquata , & essentiali in actu se-

cundo ab illa re quantitativa : quo præsup-
posito habetur conceptus adæquatus rei
materialis & spiritualis , & sanè adeò clara,
quæ dicta sunt , videntur , vt probatione
non videantur egere ; corpus enim Physi-
cum est quantum habens partes extra par-
tes , & quantitativas , ergò illud quod per se
primo ordinatur ad quantitatem , estque
aptum habere partes extra partes per quan-
titatem erit corporeum , & pari ratione il-
lud , quod non habet partes extra partes
per quantitatem , nec per se primò ordina-
tur ad quantitatem , erit spirituale .

Et si dixeris , ergò anima rationalis e-
rit corporea , quia ordinatur per se primò
ad materiam , ut cum illa faciat vnum per
se , negatur consequentia , quia licet ordi-
netur ad materiam , non tamen cum depen-
dentia ab illa , aut essentiali connexione
cum illa in actu secundo ; anima siquidem
rationalis non causatur à materia , ac pro-
indè non dependet per veram causalitatem
à materia .

Quare adhoc vt aliquid dicatur mate-
riale , requiritur , ut dependeat aut exigit-
vè à quantitativo per causalitatem , vel si
non potest dependere per causalitatem es-
sentialiter in actu secundo sit connexum ,
ut ratio adæquata , seu modus alicujus ma-
terialis & quantitativi , quantitas enim est
radix extensionis quantitativæ impenetra-
tio-

tionis, idèò quæ ducunt ordinem à quantitate, seu quæ dependent ab illa dicuntur materialia, ex quo aliqui dixeré, quod corpus sit substantia impenetrabilis cum alia ejusdem speciei, corpus enim quantum est, consequenter est impenetrabile, & non nisi alterius respectu corporis impenetrabilis quare rectè res materialis illa appellanda est, quæ cū alia ejusdem speciei, vel est impenetrabilis, vel certè, quæ non commensuratur cū re hoc modo impenetrabili, ista verò commensuratio nil aliud est, quām quòd vel dependet per veram causalitatem, vel certè res secundum ad æquatam rationem in actu secundo essentialiter est affixa alicui materiali, & quantitativo, vt contingit in creatione materiæ.

Dicimus ergò ex dictis, animam rationalem esse spiritualem, & omissis sacrarum paginarum testimoniis, sic probatur assertio, anima rationalis à nullo dependet materiali ut quantituo tanquam à subiecto, nec etiam in actu secundo essentialiter pendet à materia tanquam à ratione adæquata cui sit connexa, ergò est spiritualis.

Probatur secundò animæ rationalis operatio est intellectio, sed intellectio est spiritualis; ergò etiam anima, alias altioris est ordinis effectus, quām sit ipsum principium radicale talis effectus. Sed fortè posset

set incidere aliqua dubitatio de minori,
 quam multis Philosophi authoritatibus
 comprobare possemus , sed rationibus in-
 vestiganda est veritas : & ratio minoris est,
 quia intellectiones , volitionesque animæ
 rationalis operationes tendunt etiam in ob-
 jecta spiritualia, in Deum, & Angelos nem-
 pè (spiritualia intelligenda sunt , quæ nul-
 lam participationem cum materia habent)
 igitur intellectiones sunt spirituales ; cer-
 tum enim est , quod potentiae materiales
 ex eo non possunt tendere in objecta spiri-
 tualia , quia non sunt spirituales & in ope-
 rando dependent à sensibus , cùm ergò ani-
 ma rationalis potens sit cognoscere objec-
 ta spiritualia , spiritualis enuncianda est ;
 tritum enim axioma in Philosophia est ,
 quod modus cognoscendi sequatur mo-
 dum essendi , vnde modus cognoscendi neu-
 tiquam perfectior esse potest modo essendi ,
 mensura enim adæquata ipsius cognitionis
 est ipsa substantia cognoscens ; nihil enim
 ita adæquatum est objectum substantiæ co-
 gnoscens , quæm ipsamet substantia cogno-
 scens , quandoquidem sicuti cognitio est
 proprietas substantiæ cognoscens , ita sibi
 ipsi maximè commensuratur , vndè perfe-
 ctius substantiæ cognoscente non cognosce-
 tur adæquate ab illa . His ita præmissis de
 spiritualitate , & materialitate quæritur jam
 an anima sit divisibilis ,

Aristoteles quidem in libris de anima ^{1. Tex.}
 videtur eam indivisibilem agnoscere , in ^{93.}
 pluribus locis id afferere videtur , agit enim ^{2. Tex.}
 in Metaphysicis de intellectu ab juncto à ^{20.}
 materia , quærit enim , an omne abium-
 tum à materia indivisibile sit , quemadmo-
 dum est intellectus humanus & passim .

Verùm enim verò perscrutanda est ra-
 tio non rationalis tantum , sed omnium a-
 nimarum .

Anima igitur vegetativa , quatenus est
 in esse completo , nec ordinatur ad alium
 gradum , divisibilis est , ita etiam consentit
 Aristoteles locis supra citatis , vbi manifestè
 docet animam plantarum , & stirpium , nec
 non quorundam animalium , unam esse a-
 ctu , quia scilicet partes unitæ sunt inter se ,
 potestate plures , quia destructa unione par-
 tium integrantium , nihilominus vivunt ,
 vnde & viridem ramum ab arbore avulsum
 vivere ac vegetari , qui , si debito tempore
 plantetur , frondescit , ergò retinet partem
 animæ non enim potest eadem anima per
 partes discontinuas in formare easdem .

De sensitivis verò major videtur dif-
 ficultas , & quia hæc in duplice sunt diffe-
 reutia , alia enim perfecta , imperfecta alia ,
 hæc , ut vermes , serpentes , muscæ , & id si-
 milia quæcunque ex semine non ducunt o-
 riginem , quorum etiam animam fatendum
 divisibilem & præter experientiam , locis
 supra

supra adductis est etiam ipsa Philosophi au-
thoritas: imò D. Augustinus lib. de quan-

Cap. 15. titate, fatetur experientia didicisse hanc di-
visibilitatem; vidisseque in multipede be-
stiola partes sectas moveri, quæ cum pun-
gerentur, non secus movebantur, & con-
trahebant se, ac si integrum animal esset,

Cap. 16. Aristoteles de historia animalium id probat
ex spongea, quæ si abscindatur, iterū forent
renascatur, & Plinius id ipsum confirmat in
suide historia animalium libris: si objeceris

9. Cap. verò Aristotelem in libris de anima afferen-
45. tem in vtraque parte animalis divisa om-
1. Tex. nes partes animæ reperiri, ex quo inferri
94. possit, horum animalium animas eum exi-
stimassem indivisibiles, dicendum est eum ibi
non aliud investigasse, voluisseque, quam
quòd in qualibet parte manent principium
motus, sensus, & appetitus, ex quo liqui-
do licet inferre in talibus animalibus, vim
appetitivam, & imaginatricem esse difu-
2. Tex. sam per totum corpus, quia secundum ipsu-
met Philosophum de anima, ubi sensus, ibi
etiam imaginatio, & appetitus.

Quid verò de animalibus perfectis
sentiendum sit, non ita liquido constat,
nam authores divisi sunt in classes, quorum
multi existimarent horum animalium esse
divisibiles, & extensas quantitatib[us] qui-
dem: Alij verò exp[ress]e id negarunt, ita
quidem ut totam admiserint in toto, & to-

tam in qualibet parte , nec in hoc differre ab anima rationali , cum hac sola distinctio- ne , quod rationalis independenter à mate- ria informet , secus illa , quam educi sta- tuunt.

Primam tenuit Scotus in 4. dist. 44. quæst. 1. n. 11. Capreolus in 2. dist. quæst. 1. Soncinas 8. Metaphys. quæst. 11. Zabarel- la de partibus animarum cap. 11. Soarius disput. 15. Metaphysicæ sect. 10. num. 32. vbi expressè revocavit indivisibilitatem, quam juvenis docuerat , in lib. 1. de anima cap. 17. Toletus 2. de anima quæst. 5. Dan- dinus 2. de danima digress. 8. plurimique alij.

Secundam verò sustinuit D. Thomas 1. part. quæst. 76 art. 8. & 2. contra gentes cap. 72. Conimbricenses : Albertus , Caje- tanus , & ferè omnes Thomistæ.

Primam sustinendam censeo , divisibi- lem , & extensam , quæ magis arridet.

Probatur cùm Rubio de anima tracta- tu de modo informandi ; si forma bruti fo- 2. Quæ- ret indivisiis , idem corrumperetur , & sto 3. non corrumperetur ; abscisso enim pede bo- 2. 103. vis , illa forma pedis materiam informans corrumperetur , & tamen simul non cor- rumperetur , quia eadem indivisibilis ma- maneret in reliquo corpore ; & si dixeris , idem dicendum esse de abscissione pedis in homine , falsum est , nam anima rationalis

non depeudet à materia quoad suam esse, quòd est dicere radicaliter, anima verò bovis, cùm educatur juxta illos absolutè dependet à materia; ergò corruptâ materiâ pedis bovis, & animâ quæ informabat corrupti deberet; ergò tota, si indivisibilis est.

Quare anima bovis ita informat materiam in qualibet corporis parte ethereogenei dependenter à materia, siquidem dicunt educi è potentia ejus, vt idem sit dicere desinere illam informare partem, quam informabat, & desinere esse, quia non potest ab ea naturalitet separari, atque adeò sic anima corrumperetur absicissio pede, permaneretque in reliquo corpore, quod minimè dici potest: anima verò rationalis, vt supra dictum est, cùm non dependeat à materia, nec habeat principium impenetrationis sed sit spiritualis, hinc potest à toto corpore separari, & à qualibet parte corporis mutilata per solam cessationem informandi non perit, sed remanet eadem in aliis partibus informativa, itaque neque definit esse, neque se recipit ad informandas alias corporis partes, sed solùm definit informare illam in aliquo corpore permanens.

Obijciet aliquis dictum Aristotelis in libro de juventute, & senectute, cuius verba sunt hæc: insecta animalia qualia sunt, Vespa, apes & similia, etiam post divisionem via

vivunt, optimè autem constituta animalia, hoc non patiuntur, propterea quod natura ipsorum, ut possibile est manere, una est: ex quo arguunt ex mente Philosophi animam animalium perfectorum esse indivisibilem.

Respondendum est, quin imò ex hoc nos non posse expiscari animæ perfectorum animalium indivisibilitatem, sed Philosophum hoc loco solummodo velle ostendere perfectorum animalium animam manere unam, sed infra latitudinem entium divisibilium; nam illa entia, quæ ita possunt dividi, ut partes divisi maneant sub eadem forma sicut insecta habent minorem unionem, animalia verò perfecta, quorum partes sectæ non retinent eandem formam, habent majorem unitatem, seu unionem, licet eorum animæ non sint indivisibles.

Quare si animæ perfectorum animalium, neque ex lensæ essent, neque divisibles, sequeretur eas non esse materiales, neque educatas juxta adversariorum opinionem, imò neque dependentes à materia, consequens verò falsissimum est, quoniam sola forma spiritualis independens est à materia, & separabilis ab illa, unde incorruptibilis, & immortalis, ut videbimus.

Confirmatur vterius conclusio: vel anima bovis educitur tota juxta adversarios ex quacunque minima parte subjecti, vel non, si non, ergò clarè patet illius di-

visibilitas ; siquidem pars educeretur ex parte subjecti , & altera ex altera parte subjecti , si dixeris verò , quòd tota ; ergò sublata quacunque minima particula corporis corrumpitur tota anima , & cùm experientia doceat Bovem sublatis multis corporis partibus adhuc vivere , reproducetur eadem anima , vel alia diversa , ac proinde in nutritione bos continuò corrumpitur , & reproducitur , vel corrumpitur unus , & reproducitur aliis .

Ulterius si animæ brutorum essent indivisibles sequeretur quòd accidens posset mutare , subjectum , etiam partiale , quod est contra illos , sequella verò sic probatur ; animæ si essent indivisibles mutarent subjectum à quo dependent cùm educantur è potentia ipsius , sed hoc est contra eosdem ; ergò probatio verò majoris in hoc consistit , quòd agente calore naturali materia semper deperditur , ergò & forma , & rursus animal continuò nutritur , ergò etiam forma aliam , & aliam materiam semper à qua dependet in produci , & conservari informat , ergò mutabit subjectum ; sed quid est opus tam laboriosa probatione , nonne animæ perfectorum animalium pendent à materia , vt subiecto ? ex quo nulla est difficultas inferendi , ergò sunt divisibles , alias , & hæ creari deberent ; notum enim est omnibus rectè Philosophontibus , quòd res in- divi-

divisibilis nullo modo pendere possit à subiecto divisibili in genere causæ materialis, ergò si pendet anima à materia est divisibilis; nam si aliquid indivisibile pendere posset à subiecto indivisibili, ut anima bovis indivisibilis, vel dependeret ab omnibus, & singulis partibus materiæ quas informat, tanquam à causis totalibus totaliter concurrentibus, vel cartè partialiter partialitate causæ, primum dici non potest; quia idem effectus nequit naturaliter pendere à duabus causis totalibus: neque secundum, quia ubique est adæquatus effectus, ibi debet etiam esse adæquata causalitas, saltem naturaliter, quod maximè verum est de causa materiali, quæ certè connaturaliter non potest causare effectum, nisi sibi intimè præsentem per causalitatem, quæ sit sustentatio; ergò cùm tota anima bovis supponatur tota in materia capitis, ibi debet esse ipsius adæquata causalitas, & sic reliquæ partes materiæ causabunt effectum, seu animam bovis.

Et licet Aristoteles loco supra citato de juventute, & senectute videatur velle animas insectorum & reptilium esse divisibles, indivisibles verò perfectorum, intelligendus est non in sensu litterali, sed Philosophico; siquidem, ut dictum est eo loci mens ejus est ostendere animas perfectorum animantium esse indivisibles in

ordine ad effectum vivendi , non autem quo ad entitatem , quia scilicet pars separata animalis perfecti , vt supra dictum est , non vivit , quod si aliquando moveatur ille motus refunditur in spiritus vividos animales , non autem in animam , quandoquidem idem etiam aliquando accidit in homine ; at verò insecta se habent sicut animata , vt inquit Philosophus , quæ per divisionem non statim perdunt formas , quare licet Aristoteles testetur se vidisse arietem ambulantem detrunco capite , & Galenus victimas ambulasse , hæc dicenda sunt non naturaliter facta , aut certè si ita , id evenisse ob vegetam complexionem , cuius spiritus animales , ita solidi , & bene complexionati fuere , vt statim pereunte forma dissipati non sint : vel certè id evenisse virtute Dei , vel Dæmonis , Divi enim Pauli caput traditur truncatum loquutum fuisse , & D. Dionisium abscisum proprium caput ad duo millaria transportasse , sed quod accidit virtute authoris naturæ , naturæ non est tribendum ; qui enim ex nihilo cuncta produxit , non est mirandum si ad ejus nutum tremebunda natura speculetur ejus prodigia .

Patet igitur , si punctum sit animal statim se contrahit etiam in alia parte , ita , vt & in illa se sentire demonstret , non enim ex hoc arguitur indivisibilitas animæ , aliæ & in-

insecta , & animalia anulosa gaudebunt anima indivisibili , siquidem & hoc contingit in illis ; si enim pupugeris limacem , se contrahentem toto corpore conspicies , & tamen non conceditur ei anima nisi divisibilis , hoc igitur contingit non ratione entitatis , sed continuitatis : & licet potentiae animalium perfectorum sese mutuo impediunt , siquidem operante una intensè quasi cogitur altera desistere ab operatione , ex quo male aliqui videntur desumpsisse indivisibilitatem animæ , etenim idem contingit in insectis ; fit ergo cessatio in altera parte , quia spiritus ad actionem necessarij omnes evocantur ad unam partem seu potentiam intensè operantem , ita enim ordinatae sunt partes ad invicem , ut in Republica corporis una succurat alteri , dum ad bonum totius aliquid agendum est .

Restat adhuc inquirendum cur animæ animalium perfectorum , cum juxta dicta sint divisibiles , non æquè divisas habeant operationes aliquas ac animæ insectorum & plantarum , aut cur ad desitionem partis alicujus , aliæ disjunctæ etiam pereant , cum tamen habeant suas debitas dispositiones .

Hujus ergo quæsiti duplex assignari potest ratio , prima quidem statui debet ratione perfectionis animæ , quæ , quo perfectior est , eo partes illius habent majorem

inter se connexionem , & dependentiam , propter spirituum , & sanguinis communicationem , quæ communicatio desinit , si altera partium , maximè residente in parte principali haberri non potest , vnde laesa parte principali corde , vel cerebro , & similibus perit animal , quia reliquæ partes , ut vivant requirunt conjunctionem , & connexionem cum partibus principalibus ; sublati enim dispositionibus debitibus in parte principali , ibi pars animæ tollitur , alibi etiam consequenter debet secundum alias partes perire , hoc vero non fit in insectis & plantis , quæ cum sint animæ valde imperfectæ non exigunt tantam organorum & dispositionum varietatem , imo appetitus , & phantasia in imperfectis animalibus videntur diffusa per totum corpus , nec habent in una parte determinata , veluti habent animalia perfecta , quæ phantasiam habent in cerebro , à quo potentia loco motiva pendet , in corde ut communis est opinio resedit appetitus , hæc autem omnia in illis universum corpus diffusa sunt , nec habent in una parte determinata , prout habent ista , proinde mirum non est si in animalibus imperfectis partes separatae vivant .

Secunda ratio est , si dixerimus perfectorum animalium partes sibi invicem subordinatas esse ; ita ut quævis pars exigit omnes dispositiones animæ , vel pro se , vel pro

pro aliis partibus ; eo ipso etenim , quod de-
finant dispositiones vnius partis principa-
lis desinunt etiam aliæ partes animæ , quæ
exigebant illas dispositiones vel pro se , vel
pro aliis , nec illis est debitus concursus con-
servativus sine partium aliarum , quæ præ-
cipuas functiones exercebant continuatio-
ne , hoc in insectis , aut plantis nullo modo
accidit , quia ubique habent partes & di-
spositiones ferè æquales , & homogeneas ;
non enim exigunt organa etherogenea , ut
demonstrat experientia , proinde cum ha-
beant easdem ferè dispositiones in vna par-
te , & organa ejusdem ferè rationis , quæ
habent in alia parte , non est mirum quod
vivant partes etiam separatae , sicut formæ
inanimatorum etiam separatae informant
corpus , quamvis insecta majorem organo-
rum , & dispositionum exigant aliquo mo-
do , quam corpora inanimata ; hinc ex di-
ctis pars separata in animali perfecto cor-
rumpitur , quia operari non potest , non ha-
bens dispositiones requisitas ad operan-
dum , talis enim pars animæ requirit simul
plures , & certas dispositiones in diversis
partibus subjecti ; siquidem vna pars secun-
dum operationes suas dependet ab aliis
præcipuis propter connexionem de qua su-
pra dictum est .

Unde ex Aristotele de anima : omnes
partes animæ insectorum manent in vtraq;

parte divisa , aliter verò in perfectis in quibus , ut dictum est , apprehensio reperitur in cerebro , appetitus in corde , ideoque Philosophus eò quòd in insectis , & imperfectis etiam partes divisæ vivant , eorum animas divisibiles ex infallibili conjectura statuit , non tamen propter hoc solummodo illorum divisibilitatem agnovit .

LUCUBRATIO XII.

Cujus rationis sint partes animæ divisibilis ?

An anima rationalis sit extensa ?

PRæhabitum supra expositis videndum nunc est , an partes animæ divisibilis sint homogeneæ , an verò etheroge-
1. Cap. 2. neæ ; Soarius quidem de anima , & alibi ,
n. 29. docet , quamlibet partem animæ divisibili-
lis constare partibus specie incompleta di-
versis , speciem verò incompletam , non
intelligit essentialiter , sed integraliter , ita
ut in animali pars illa animæ , quæ informat
os , specie incompleta differat ab illa , quæ
informat carnem , & sic de cæteris .

Alij verò contrarium afferunt , docent que omnes partes animæ esse homogeneous , & totam diversitatem organorum consistere in diversitate accidentium . Hanc sectan- dam omnino censeo , quæ maximè con- for-

formis est menti Aristotelis , qui scribens de ^{1. Tex.}
anima , inquit : videntur & plantæ divisæ ⁹³.
vivere , & insectorum quædam tanquam
eandem habentia animam specie , & si non
numero , & iterum partes animæ ad invi-
cem ejusdem sunt speciei , & toti .

Verùm antequam ad ulteriora deve-
niamus , sciendum est dum dicitur partes a-
nimæ esse homogeneas , & ejusdem speciei
seu rationis , intelligendum esse non de par-
tibus integralibus & entitativis ; hoc enim
modo non est tota in qualibet parte , & ta-
men tota quò ad essentiam , nam in quali-
bet particula albedinis est tota entitas albe-
dinis .

Jam ergò probatur assertio ; anima ra-
tionalis informans omnes partes est indivi-
sibilis , eadem numero & specie , ergò non
poterit constituere partes etherogeneas
specie partiali diversas : antecedens mani-
festum est , consequentia verò probatur ;
quia distinctio specifica desumitur à forma ,
sed eadem anima rationalis informans sin-
gulas partes non distinguitur à se ipsa specie
partiali , ergò non potest constituere diffe-
rentiam specificam partialem inter easdem
partes ; non enim aliter constitueret , & cau-
saret , quām dando se ipsam , quidquid de
vnione dixerint falso est ; nam in aliis
quoque viventibus est unio substantialis ,
quæ apta est id præstare æquè ac illa , & ta-
men non præstat .

Clas-

Clarissimè verò argumenti robur ostendit quorundam arborum; præcidantur enim radices falicis figanturque in terram nonne agunt, & in arborem excrescunt? quomodo verò id fieri posset si anima, quæ est in parte radicis avulsæ non esset ejusdem rationis cum anima totius arboris? vnde si in plantis anima est homogenea, cur in animalibus id negandum erit, ratio non videtur; & si quævis pars animæ divisibilis sit ejusdem rationis, non sequitur, quod cuilibet parti competit definitio animæ, verum quidem est quod quælibet pars aquæ est aqua, at non tota aqua, vnde pars animæ entitativè non respicit adæquatum corpus organicum, & ideo illi definitio ut sic non competit, quæ dicitur quatenus est apta informare totum corpus, & quatenus illa suum perfectibile respicit, nam anima definitur per corpus organicum, veluti per adæquatum perfectibile, partes verò singulis anima non respicit, neque informat tanquam adæquatum perfectibile, sed tanquam inadæquatum, hinc singulis partibus non convenit definitio. Nec valet instantia, quæ adducitur ex diversitate dispositorum cujuslibet partis, quoniam si ex illis arguenda esset entitas animæ diversa, quid dicemus de anima rationali, à qua exordium ideo probationis desumpsimus? hæc enim informat corpus multiplicibus coagula-

latum organis , nemo tamen ex hoc ejus e-
therogeneitatem eiicit ; siquidem operatio-
nes diversæ diversum requirunt tempera-
mentum , apprehensio humidum , reten-
tio siccum , & siquidem benè dictum est ,
malè argui ex diversitate operationum , di-
versitas partium animæ , quod nullo modo
in animam rationalem cadere potest , quæ
una simplexque entitas est , & quæ juxta o-
perariorum diversitatem diversimodè mo-
dus ejus operandi nuncupatur , potentia-
rum insignitus titulo , inquirendum modò
est , an istæ potentiae realiter distinguantur
ab ipsa animæ substantia , an verò tantum
secundùm rationem .

Antequam quidquam hac de re sta-
tuatur sciendum est illud realiter dupliciter
sumi posse , ut optimè Zabarella de facult: Cap. 24
animæ primo quidem modo distingui ali-
quid dici potest realiter per differentiam
subjecti , sic Aristoteles dixit materiam , &
privationem non esse distinctas re , id est
subjecto ; altero modo dici potest pro eo ,
quod est esse res diversas , & secundùm es-
sentiam distinctas etiam animo non cogi-
tante , sic dicitur materia distincta à priva-
tione , de priori modo hic non est quæstio ;
siquidem in eodem vivente facultates , &
anima ipsa distingui subjecto non potest ;
juxta ergò acceptionem secundam acci-
pienda est interpretatio , id est an potentiae
seu

seu facultates animæ sint aliquid reale , & realiter distinctum essentialiter ab ipsius animæ substantia , tanquam differentes inter rem , & rem .

D. Thomas in Prima parte summe quæst. 77. art. 1. & in 1. sentent. distinct. 3. quæst. 4. art. 2. quem sequitur scola Thomistarum , & plurimi alij cum eo existimarent potentias esse qualitates secundæ speciei , emanantes ab essentia animæ , quare realiter distinctas ab entitate animæ .

Durandus in 1. distinct. 3. quæst. 2. Solius animæ vegetativæ potentias docet identificari cum ipsa anima , sensitivam verò & rationalem distingui realiter .

Scotus cum omnibus aseclis in 2. distinct. 16. & in 4. distinct. 44. quæst. 2. n. 5. vult distingui formaliter , quemadmodum distinguntur , diversæ formaliter ejusdem entitatis .

Alij verò volunt identificari , sed solum ratione distingui , ita Gregorius Ariminiensis in 2. distinct. 3. quæst. 2. art. 3. Ocham. ibidem quæst. 4. & passim nunc recentiores .

Zabarella verò de facult. animæ ; sequitur quidem sententiam Thomistarum , sed conatur aliquo modo eam reformare , statuitque potentias animæ distingui quidem realiter ab anima tanquam accidentia à substantia , ita tamen , ut non sint agentia me-

media inter animam & operationem, sed solummodo esse conditiones & aptitudines ad operandum, hancque aptitudinem habere aliquo modo rationem privationis, non esse verò privationem, sed potius reale aliquid & positivum, & hanc aptitudinem presupponere in eadem re aliam naturam priorem, quam insequitur; siquidem operatio fit ab actu, sed quia & hic non multum deviat à Thomistis, nec quid sit illa aptitudo habens rationem tantummodo privationis, licet privatio non sit non satis explicat, his prætermissis.

Advertendum est varias esse potentias, quædam enim nullo pacto pendent à materia & quantitate, ideoque spirituales censentur, ut intellectus & voluntas, aliæ organicæ dependentes à materia & quantitate, tanquam principio impenetrationis (hucusque de potentiis mentis humanæ) etenim de potentiis brutorum, censeo nullo modo dubitandum esse non distingui eas ab anima materiali: quæritur ergò in homine utrum identificatæ sint cum mente hominis, nec ne? & hic non solum quæstio est de immaterialis intellectu nempè & voluntate, verùm etiam de ipsis organicis, ut phantasia, appetitu sensitivo, potentia visiva, auditiva, generativa, nutritiva, locomotiva?

Dicamus igitur, potentias inorgani-

cas nullo modo distingui realiter ab ipsa es-
sentia animæ rationalis , idemque esse ap-
pellare potentias animæ , ac animam ipsam ;
distingui enim aliqua realiter inter se quæ
nullo pacto separari possunt credibile non
est, sed potentiae inorganicae ab anima sepa-
rari non possunt per quamlibet potentiam ,
ergò fabulosè distingui non debent ab
anima ; etenim nullum est fundamentum
asserendi eas distingui ab illa , etiam de po-
tentia Dei absoluta ; nil enim opus est
quærere potentias superadditas , si anima
per se ipsam esse potest immediatum prin-
cipium suarum operationum; dixi enim ali-
cubi in principio , substantiam esse princi-
pium immediatum operandi frustraque sta-
tui aliud medium , ac proinde entitas , quæ
per se ipsam potest dare effectum formalem
non indiget superaddito , ergò etiam enti-
tas effectiva , quæ se ipsa potest efficere non
indiget potentia superaddita , hæc manife-
sta mens est Philosophi de anima , ubi intel-
lectui functionem voluntatis attribuit ,
quæ jussio est. Dato verò quod etiam perin-
concessum distinguerentur potentiae ab a-
nimæ , ea nihilominus est immediatum prin-
cipium effectivum , & receptivum actuum
vitalium , ergò frustaneæ sunt potentiae di-
stinctæ ab illo principio ; probatur verò esse
principium immediatum : anima imme-
diatè concurrit ad actus in genere causæ
effi-

9. Tex.

53.

efficientis, & materialis, ergò est immediatum principium effectivum & receptivum; probatur verò particulariter de voluntate: si anima non concurreret immediatè, ergò anima non mereretur, neque demereretur, ac proindè nec laude, nec virtutero digna foret, consequens absurdissimum est, videamus nunc sequellam, omne enim meritum vel demeritum, debet ita procedere, vt presupponatur libertas, & ita prodire à suo principio, vt habeat in sua potestate, illa ponere, vel non ponere, ergò anima quæ caret hac libertate nec meretur, nec demeretur, vel certè dicendum est immediatè influere; constat enim ex definitione liberi, & si non influat in actus, quomodo erit in potestate ipsius agere vel non agere: & certè si anima non habet dominium super actus bonos, vel malos incredibile est quomodo possit mereri vel demereri, quidquid dicant adversarij de tute ad pupillos, de parente ad filios, comparatio enim hæc veldè claudicat, actiones enim pupillorum, & filiorum sine dubio tutoribus ac parentibus attribuuntur, quia & Tutor pupillis, & parens filiis dominatur.

Nec quidquam pariter adversarios relevat modus argumentandi à pari; dicunt enim, quod igni attribuatur jus calefactivæ, licet substantia ignis immediate non concurrat ad illas actiones, concludunt ergò

etiam anima , dicetur mereri vel demereri licet immediatè ipsa non concurrat , sed si quis benè advertat , deprehendet eos ex falso supposito eruere argumentum , putant enim substantiam non esse immediatè acti- vam , ideoque ignem non calefacere nisi medio calore.

Verùm dato & non concisso , quòd substantia ignis non concurret ad combus- tionem , magna tamen est disparitas , siqui- dem positis istis requisitis semper dicitur a- gere per suam virtutem ; sic licet per calo- rem ut instrumentum : anima verò ut di- catur libera positis etiam istis requisitis de-bet posse agere , vel non agere , quomodo autem hoc præstabit si non potest impera- re actum , nec illum impedire , aut prohibe- re voluntatem ne agat.

Quare dato per impossibile , vel possi- bile voluntatem separatam ab anima pec- care , cui imputabitur illa actio peccamino- fa , an animæ , vel non ? respondere debe- rent quod non ; jam ergò sic nil præstat a- anima amplius quando est vñita , ac quan- do est separata , nec in vno casu magis in- fluit , quam in alio , & si cum Thomistis di- xeris requiri vñionem ut tribuatur effectus animæ , ut causæ nihil dicis , dicant enim Thomistæ ad hoc ut tribuatur igni actio ca- lefactiva , vel cōbustiva an requiratur vñio caloris cum igne , cùm calor separatus ab omni

omni igne dicatur agere in virtute substanciæ , ergò etiam voluntas separata dicetur agere in virtute substancialiæ , sed quia hæc argumenta sapiunt aliquid moralitatis omnissimis istis , ergò accedamus ad alia.

Juxta etiam adversarios anima est principium effectivum immediatum suarum potentiarum , absque alia superaddita potentia , alias & illius superadditæ assignanda foret alia , & hujus alia , & sic laberemur in processum in infinitum , ergò anima erit principium effectivum , & receptivum immediatum suorum actuum ; consequentia probatur , quia ideo negant , quia substancialiæ non concedunt immediate actionem , si ergò anima , ut concedunt , est immediatum principium suarum potentiarum , cur non actuum etiam.

Et quod substantia immediate non agat inductione probare conantur : dicunt enim elementa non agunt nisi mediis qualitatibus , mixta non moventur ad sua loca naturalia nisi per potentias nempè per levitatem & gravitatem , certè se ipsos contorquent , dicant enim nonne elementa sunt principium immediatum effectivum suarum qualitatum ? nonne mixta feruntur ad propria loca naturalia per propriam formam ? quomodo ergò dicunt substancialias non esse activas.

Sed dicere possent substancialiam esse

quidem immediate operativam se sola, sed nihilominus intervenire debere actionem quae est naturalis emanatio, verè ridicula est hæc assertio, Zabarella asecla sententia Thomisticæ de motu gravium & levium, dari asserit accidentia, quæ vocantur formam consequentia, seu emanantia, ut risibilitas, quia posita anima rationali, illa ponitur, & tamen non est distincta realiter ab anima rationali nisi ratione, ergò illa emanatio nihil confert huc ad meritum, quinimò naturalis emanatio est actio propriæ dicta, ergò anima vel substantia erit immediatè operativa actione emanativa. Nec abstat quod Philosophus in Metaphysicis dicit actum & potentiam esse in eodem genere, sed actus vitales sunt de genere qualitatis, ergò & potentia, ergò potentia non potest esse substantia, alias accidens esset substantia.

Dicendum est eandem rem constitui posse in prædicamento substantiæ & qualitatis secundùm diversam considerationem, ideo non obstat, quo minus dicatur qualitas, & identificetur animæ.

Quare Aristoteles posuit quidem potentiam in prædicamento qualitatis, non verò simpliciter & secundùm substantiam, sed reductivè, & secundùm conceptum, seu metaphysicè; nam sicuti significatur potentia nomine qualitatis, quamvis in re possit

3. Cap.

xx.

5. Tex.

z.

possit esse substantia , ita reducitur secundum modum significandi ad qualitatem , sicuti etiam quantitas , quæ est idem cum substantia materiae , solùm metaphysicè constituit diversum prædicamentum à substantia , ad modum quo actio & passio , & ubi , quare Physicè loquendo , & vniuersaliter falsum est , quòd potentia & actus sint in eodem genere , explicari enim debet dictum Philosophi , intelligendum ergò est , quòd id quod est in potentia Logica respectu sui , quando est actu non debeat esse diversum aut genere , aut specie , aut etiam numero à se ipso , vt est in actu Physico.

Et licet vterius Aristoteles dixerit potentias esse susceptivas magis & minus , quod substantiis non competit : item quod definit animam esse actum corporis , intellectum verò non esse actum corporis , mentemque ita esse in anima , vt visus in corpore , non benē per hoc concludi , quòd potentiae distinguantur ab anima .

Etenim distinctione opus est , potentiae sunt susceptivæ magis & minus habito respectu ad substantiam negatur , quo ad modum facilitandi , & constituendi habitum conceditur , nam habitus potest magis & minus intendi , & juxta illud magis & minus facilitatur potentia , ostendat verò in quo loco Aristoteles dicat intellectum non esse actum corporis , bene dixit quòd intellectus

lectus sit immixtus, & quod nulli parti corporis specialiter sit addictus, ita ut separatus possit consistere sicut anima, aliter quam phantasia, seu potentia visiva, quae potentiae ita sunt mixtae corpori, ut non possint esse secundum id quod dicunt in recto, & in obliquo sine corpore, quatenus tales sunt id est potentiae organicae; & licet intellectus intelligat, & forte non amat, & voluntas amet & non intelligat, hoc distinctionem non parit, quia intellectus ad intelligentium sufficienter determinatur per species impressas, ad volendum verò per propositionem objecti, & alias dispositiones, dictum est forte, quia cum eadem sit anima qua & intelligit, & amat sub diversa formalitate.

*I. Tex.
65.* Quod verò potentiae non suscipiant magis & minus entitativè, probatur ex Aristotele de animali, vbi docet, quod si senex accipiat oculum juvenis, videbit utique senex ut juvenis, ex quo colligitur, quod potentiae juvenis & senis quoad substantiam non sint susceptivæ magis & minus, bene quidem respectu instrumentorum, quoniam hujusmodi potentiae utuntur organo corporeo in quo est complexio & compositio, complexio enim recipit magis & minus, & quia complexio, & organi visivi compositione melius disposita est in juvene, quam sene, ideo melius videt. Hinc collige idem dicen-

dicendum de intellectu , qui intelligendo dependet à virtute cogitativa ; ita Aristoteles de anima ; vndè prout organum cogitativa melius fuerit dispositum & aptatum ratione compositionis & complexionis melius intelliget , & hoc est fundamentum cur aliquis homo profundioris discursus sit , quam alter , quare sub hac formalitate si consideretur intellectus , dici potest quod recipiat magis , & minus .

Scotus cum Antonio Andrea quoad hoc in speciali quæstione tenet , quod quælibet forma substantialis recipiat magis & minus : clarum enim est quod substantia secundum speciem in universalis considerata ut quidditas , non suscipiat magis & minus , sed in supposito , vndè Scotus volens suam sententiam explicare dicit , quod Metaphysicus in 8. loquatur de forma & differentia secundum quod pertinent ad quidditatem rei , sed quidditas abstrahit à suppositis non includens aliquid , quod pertinet ad individua , sed suscipere magis & minus non competit quidditati secundum se consideratæ , sed ut est in Individuis , secundum hoc differentia addita quidditati sic variat definitionem , vndè diverso modo se habet magis & minus in substantiis , & diverso in accidentibus ; siquidem in substaniam magis & minus introducitur mutatione invisibili , in accidente vero motu continuo ,

3. tex.
so.

& explicat Philosophum in Metaphysicis dicentem, quod quemadmodum nec numerus habet magis & minus, nec quae secundum substantiam; sed siquidem cum materia, quod nempè ly siquidem duas includat dictiones, vel enim intelligitur, quod si forma specifica habet magis & minus, hoc quidem est cum materia, & tunc sensus est, siquidem cum materia in inferioribus individuis, quae respectu ejus sunt materialia, unde nulla est materialitas in quidditate, ut quidditas est, quia sic abstracta ab omni conditione materiali, & individuali.

quest.
15.

Henricus verò de Gandovo in quotlibeto 4. loquendo de forma vna genere, quae libet inquit talis recipit magis & minus de forma autem vna specie loquendo semper in formis materialibus nulla in genere substantiae dicitur secundum magis & minus, nisi fuerit aliqua, quae secundum rationem suam sit naturae indeterminatae, unde concludit, quod nullus alias modus specialis sit, nisi unicus, scilicet, quod natura res non existit in termino, sed nata est habere in se aliquam latitudinem alicujus magnitudinis, & secundum illam dicitur magis & minus, hujus verò causa est natura, & essentia formarum in se.

Mirandum igitur est, quod Thomistæ existiment profundanda eorum opinione ma-

maximum robur consistere in authoritate supra adducta , nam si recte consuluissent Aristotelem in prædicamentis , & in Physi-^{2.} tex. cis , animadvertisserent , quod in parte ani-^{20.} mæ intellectiva non sit alteratio , & tamen est scientia , scientia enim æquivocè dicitur de scientia Dei , & de scientia humana , quia scientia Dei est causa entium , & scientia ^{12. tex.} nostra est causa ab entibus in Metaphysicis , ^{51.} dicta itaque de potentilis inorganicis satis sint , nisi aliquid adhuc breviter respondendum est ad authoritatem Philosophi , quam summa cum emphasi obijciunt deprædicationis cap. de qualitate & quali , vbi ponit potentias sub secundo genere qualitatis , quare inferunt esse accidentia , & hinc potentias distinctas ab anima .

Sed dicendum est , Aristotelem ibi non absolutè potentias nominasse qualitates , sed vt supra breviter dictum est quatenus habent rationem facilitandi ad melius , & facilius operandum , & quia vt superius expositum fuit ex ipso Aristotele idem ens sub vna consideratione acceptum ponitur sub uno prædicamento , & sub altera sub alio , vndè nihil novi diceretur si potentia absolutè considerata poneretur sub prædicamento substantiæ , & considerata , quatenus facilitat sub prædicamento qualitatis , inde in eodem loco citato ponitur prius habitus ut facilitat ad operandum , secundò

ponitur potentia tanquam aptitudine vel si magis libet sit responsio suprà adducta, quando Philosophus secundum communem modum loquendi qualitatem appellaverit.

Potentiæ organicæ seu materiales respectu subjecti in quo recipiuntur, non sunt quidem aliquid realiter distinctum adæquate ab anima, non tamen idendificantur adequatè cum anima id est potentia materiales seu organicæ, secundum id quod dicunt in recto identificantur quidem cum anima, in obliquo tamen intrinsecè includant tamquam complementum complexionem accidentium, quæ constituit organum, & videtur idem ac si dixeris in actu primo sunt substanciales & identificatae cum anima, in actu secundo accidentales & distinctæ, ita, ut materiales, & immateriales dici possint:

Probatur assertio, quia ad sensationes necessario requiruntur organa, vt vidimus superius ex Aristotele agente de visione, vnde nec visio, nec auditio, nec phantasia dicitur nisi adsit complexio, illorum accidentium in materia, & consequenter illa organa; ergò potentia visiva præter materiam includit organa, quod de omnibus aliis potentiis dicendum est, consequentia verò est facilis probationis, positis enim organis & animi ponitur potentia visiva, non posse.

positis non ponitur, ergò organa ingrediuntur tanquam quid constituens potentias materiales, saltem in actū secundo, & de novo probatur ista consequentia, quia ideo anima separata non dicitur habere potentiam visivam, auditivam &c. quia desunt organa, vnde Porphyrius dicit, quod propria interempta, interimunt ea quorum sunt propria, & his interemptis, ipsa simul interimuntur, quare ablatis organis tolluntur potentiae organicæ siquidem species & propria cum sint æqualia alterna se invicem consumunt, etenim si non sit risibile, homo non erit, & si homo non sit, risibile non erit, & tamen anima separata dicitur habere intellectum & voluntatem, quia hæ potentiae non egent organis, & adæquatè cum anima identificantur, organicæ vero requirunt organa ut partes sui constituentes in actu secundo. Advertendum tamen est, potentias materiales esto organa includant intrinsecè in obliquo, ipsa tamen organa non concurre effective ad actus vitales producendos, organa oculi ad visionem, phantasie ad phontasianem, & ratio est, quia etsi ipsa anima non constituit totam potentiam organicam adæquatè, sicuti neque constituit totum hominem sola, tamen illa potest concurre sola effective, tum primò quia accidentia non videntur habere vim efficiendi actus vitales: tum secundò, quia ista accidentia

cidentia deberent concurrere in virtute animæ , & vt elevata ab anima , sed hoc sine fundamento dicitur , nam si habet vim elevandi accidentia , multo magis habet vim producendi se ipfa , vt principium adæquatum actus vitales : tum tertio quia ista accidentia deberent completere principium vitale sub ratione vitalis , & consequenter deberent ipsa in se esse vitalia , & recipere actum vitalem , & hoc quoque sine ullo fundamento adstrueretur.

Advertendum igitur ex dictis secundò est , quod licet organa non sint principium effectivum actuum vitalium , quia tamen sunt affecta tali complexione accidentium , quæ in materia recipiuntur , concurrunt tamen vt principium passivū & recipiuntur ut in subjecto adæquato in anima & materia affecta illa complexione accidentium , quæ constituunt organizationem ratio autem est , quia cum sint actus materiales si producerentur & reciperentur in anima sola essent spirituales nec ullum esset fundamentū illas appellandi materiales , imò per hoc solum distinguuntur actus materiales à spiritualibus , quod spirituales producantur , & recipiantur in sola anima , materiales vero licet producantur , à sola anima cùm materia non sit activa , nec accidentia , vt supra dictum est , recipiuntur tamen in materia organizata , vt subjecto adæquato . Quare

re ipsa complexio est conditio necessaria, vt anima producat effectivē actus vitales materiales, quin imò est etiam necessaria conditio tenens se ex parte materiæ, adhoc, vt materia recipiat illos actus quatenus per complexionem illam accidentium materia formaliter disponitur ad recipiendum actum vitalem, & sanè si rectè consideretur videtur non solùm conditio, sed pars integrans ad hoc, vt materia recipiat.

Hinc licet materia organizata sit principium inadæquatum passivum, seu receptivum actuum vitalium materialium, illa tamen formaliter non vivit, etenim illud vivere dicimus quod est principium activum, & passivum simul, vndé sola anima propriè vivit in actu secundo, quia illa est principium activum, & passivum, quamvis passivum sit inadæquatum: igitur potentia organica incompletè sumpta pro facultate, quæ est in anima non distinquitur ab ea; si verò completè acceperis pro facultate nempe, & organo simul, absque dubio distinguitur, hoc est accepta in accepta in actu secundo; vndè si etiam incompletè accipiantur, nempè pro sola facultate residente in organo, non est identificata realiter cum anima, prout pars à sua parte, ita hæc distingnitur, nam secundūm residentiam dependet ab organo, siquidem prout operatur mediante organo materialis est, & cum illa

illa recipitur actio vitalis organica, quare
 potentiae materiales si sumantur pro facul-
 tate animae sunt quidem in toto vivente,
 sumptae tamen incompletè, siquidem qua-
 tenus includunt organa solù sunt in partibus
 organizatis, licet originaliter, & in actu pri-
 mo resideant in toto vivente, nec mirum
 est de materialibus: dicamus vltterius ipsas
 inorganicas, & spirituales sortiri quodamo-
 do has conditiones, nam potentia intelle-
 ctiva in actu secundo, quo ad operari residet
 in capite, licet non sit organica, quia ibidem
 etiam residet imaginatio à qua intellectus
 in operando plerumq; dependet dixi plerū-
 q; quia intellectus potest aliquādo intellige-
 re absque eo, quod phantasmatu speculetur
 alias anima nullam propriam haberet ope-
 rationem, & quia à praeunte intellectu de-
 pendet & voluntas, ideo etiam ipsa volun-
 tas in superioribus partibus arcem suam ad
 operandum collocasse videtur, licet verè
 utraque potentia sit in toto vivente, prout
 & anima illis identificata, quapropter si
 potentia organica intelligatur completem
 non est in sola anima, sed in toto coniuncto,
 cum compleatur ex facultate, quæ est in a-
 anima, & ex facultate, quæ est in organo cor-
 poreo, hoc verò constat ex Aristotele de ani-
 ma, & de somno, & vigilia, ubi expressè do-
 cet, animæ non esse proprium sentire, ne-
 que corporis, sed esse motum quendam a-
 nimæ

x. tex.

22. cap.

x.

nimæ per corpus , illius autem esse potentiam cuius est actus , ergò sicuti actus est conjuncti , ita etiam potentia erit conjuncti .

Sed maior difficultas oritur ex intellectu , & voluntate , vnde nempe fiat , quod dum intellectus cognoscit , voluntas amat , vel refugit . Quia in principio promissa fuit brevitas , ne nimia verborum sinderesi nausea excitetur , ideo aliqui attribuunt hoc alicui Sympathiae naturali , per quam potentiae quasi subordinantur , nempe voluntas ad amandum postquam intellectus cognoverit : verum non est intelligibilis illa subordinatio nec facilis explorationis quomodo id agere possit , cum non ad aliud inserviat , quam , ut quando intellectus cognoscit , voluntas per Sympathiam moveatur ad amandam , & hoc manifestum est , quoniam nisi anima concurrat immediate ad utrumque illum illum actum inexplicable est , quid illa sympathia faciat , ut voluntas , quæ ignorat bonum , amet bonum , etiamsi intellectus intelligat , quis enim negabit , quod motus ad quem dum una potentia , ab alia excitatur per Sympathiam sit incessarius ? sed volitio est libera , ergò voluntas non potest excitari per Sympathiam dum cognitione repræsentat solum objectum per modum causæ formalis , ergò solum repræsentat illi , cui formaliter unitur , non autem unitur nisi intellectui .

Circumscrip^tivè ergò res hæc est dilucidanda manus enim, vel pes ad nutum voluntatis movetur dispositivè, per imperium voluntas verò ab intellectu movetur politicè ex cognitione boni sibi propositi, non potest verò voluntas allici, nisi aliquo modo moveatur ab intellectu, seu potius ejus cognitione.

Instabis contra circumscriptionem: habitus concurret ad volendum, licet non cognoscat, ergò etiam voluntas poterit velle, licet non cognoscat.

Verùm aliud est quærere, an omne principium concurrens ad volitionem, debeat cognoscere, an solummodo aliquod, habitus enim est solummodo adjuvans voluntatem, qui idèò etiam determinatur ab illa, vt agat in actu secundo, proinde non est opus, vt habitus sit cognoscitivus, requiritur tamen, vt sit voluntas, quæ est principium vitale; qui enim colores territ opus non est, vt sciat picturam, sed satis est si sciat pictor, sic voluntas est potentia cœca, non quidem realiter, sed tantum formaliter, nam nos non distinguimus intellectum à voluntate nisi formaliter, seu sub diversa formalitate, vnde si voluntas non sit illuminata, nullo modo potest velle, neque si alio modo illuminetur, quam per propositionem bonitatis objecti, quare si voluntas distingueretur ab omnia, videtur,

tur , qnòd non sit verè in se libera magis qnàm habitus , & ex hoc desumitur argumentum , quòd realiter non distinguatur ab anima ; quia non esset libera , nam in potestate cæci non cognoscentis , non est determinare ad hanc , vel illam viam , & sic voluntas distincta , omnino cæca esset , quia careret illuminatione , & cognitione , ex quo non esset in ejus potestate eligere hoc , vel illud.

Ex jam dictis rectè inferimus animam immediatè concurrere ad omnes operaciones sensuum , tam internorum , quam exterorum , imò ad ipsum motum localem .

Cùm enim anima sit principium vitale , & omnes operationes supra dictæ sint vitales , facilis est deductio , quod anima immediatè efficiat , & recipiat illas , quare solvitur argumentum Javelli quod adfert pro *Quest.*
confirmatione opinionis D. Thomæ in 2. ^{12.}
de anima : esse , & operari in quolibet creato distinguuntur realiter , quia esse reductivè est in genere substantiæ , operari autem in genere accidentis ; in solo enim Deo actio est substantia , & quòd diversorum actuum , distincta esse debeant principia ; ecce quomodo ponit pro fundamento id , quod est in quæstione ; quæritur enim , an anima possit operari immediatè absque mediis potentias , & ille pro suo principio ait esse , & operari distingui realiter , imò contrarium

dicendum est, ita videlicet se habere esse, sicut se habet operari, secundò, verum est, quod diversi actus requirant diversa principia quando illi diversi actus comparantur ad diversa principia in eodem genere causæ, vnde diversi actus formales ad diversa principia formalia, vel diversi actus effecti ad diversa principia efficientia, ut esse calefactum, & esse infrigidatum, sed constat, quod esse, & operari non comparantur ad diversa principia in eodem genere, nam esse est actus formalis essentiæ, operari autem est actus effectus potentiae operativæ, non enim implicat ab eodem effectu provenire actum formalem, & actum effectivum, vnde finem facientes tandem deveniamus ad mentem Humanam.

LUCUBRATIO XIII.

An anima Rationalis cùm sit Indivisibilis Coëxtendatur corpori?

Cap. 17. **T**RACTATURI de anima rationali, de qua Laetantius libro de opificio Dei, quid sit nondum inter Philosophos convenit, nec unquam fortassis conveniet. & D. Augustinus appellat mentem animæ oculum, & libro de definitione animæ nominat substantiam creatam, invisibilem, incorpoream, immortalem, Deo simili-
mam, imaginem habentem creatoris sui, &

D. Isi-

D. Isidorus libro de summo bono ait : O ho-
mo quid miraris syderum altitudines & pro-
funditatem maris : animi tui abyssum intra
& mirare si potes , & idem alibi anima dum
vivificat corpus , anima est , dum vult ani-
mus est , dum scit , mens , dñm recolit , me-
moria ; dum rectum judicat , ratio : dum
spirat , spiritus est : dum aliquid sentit , sen-
sus est : & Macrobius super somn. scipionis:
animarum originem manere de Cœlo , in-
ter rectè Philosophantes indubitatae constat
esse sententiae , & anima , dum corpore vti-
tur , hæc est perfecta sapientia , vt vnde orta
sit , de quo fonte venerit , ne cognoscatur : &
idem libro saturnal : tria sunt enim , quæ ex
animæ providentia , accipit corpus anima-
lis : vt vivat , vt decorè vivat , ut immorta-
litas illi successione quæratur ; & Cicero lib.
de legibus , quod autem ex hominum ge-
nere consecratos : sicut Herculem , & cæte-
ros coli lex jubet , iudicat enim omnium a-
nimos immortales esse , sed fortium , bo-
norumque divinos : & lib. vltimo Tuscula-
nar. quæst. Humanus autem animus decer-
ptus est ex mente divina , cum alio nullo ,
nisi cum ipso Deo , si hoc fas est dictu , com-
parari potest : Plutarchus , vt corpus est in-
strumentum animæ , sic anima est instru-
mentum Dei , quare cum tot tantisque de-
prædicetur encomiis . supervacaneum ferè
foret quidquam in medium afferre , nihil-

ominus tamen , quia multi textus Aristote-
lici videntur dubii , ideo inquirendum est ,
& maximè cùm videatur extendi ad exten-
sionem corporis.

Cap. 15. Antequam verò attingamus materi-
am de mente Humana , sciendum est divi-
sibilitatem animalium reptilium , & anima-
lium imperfectorum dependere ab imperfe-
ctione eorundem , & licet perfectiores sint
quam formæ inanimatorum , quia hæ quo-
modocunque divisæ semper manent , &
informant suam materiam , non verò ita
formæ animantium imperfectorum ; vnde
Zabarella de accretione , & nutritione , ait ,
animas illas esse & materiales , & quasi im-
materiales , easque appellat mediæ naturæ ,
inter scilicet formas à materia penitus ab-
juntas & formas materiæ prorsus immersas ,
has verò dicit esse formas inanimatorum ,
& formas omnino à materia abscindatas indi-
viduas statuit , quia nullam habent quanti-
tatem nec materiam , formas verò inanimes
ad eò necessariò adjunctas quantitatib[us] , ac ma-
teriæ in qua extenduntur & determinantur etiā
quantitatib[us] , & determinatæ materiæ , sine qua
existere nequeunt , nam forma , quæ est in hac
particula aquæ , ita est alligata huic portioni
materiæ , & hinc determinatæ quantitatib[us] , vt
non possit extendi ad informandam aliam
aliquam portionem materiæ adjectam , ex
quo deducit , quod anima medio quodam

modo se habeat, & licet necessariò materiae,
 & quantitati addicta, quia sine materia, &
 sine quantitate nullo modo esse potest, non
 est addicta ita determinatae materiae, ac de-
 terminatae quantitati, vt non possit mate-
 riā quantam mutare, & aliam cui inhæ-
 reat sibi adscribere, quare anima quatenus
 sine materia esse non potest, materialis est,
 & semper extensa, & semper quanta ac di-
 vidua, sed quatenus fluentibus materiae
 partibus ipsa non fluit, ideo olet naturam
 formae immaterialis & individuæ, hancque
 dicit esse doctrinam Philosophi in lib. dege- ^{1. Tēx.}
 nerat: vbi docet formam, secundum quam ^{41.}
 fit nutritio, & accretio, esse formam quandā
 imaterialem in materia tamen existentem.

Sciendum secundò est, quòd licet vi-
 deatur divisibilitas animarum oriri ex im-
 perfectione earum ex supra dictis, funda-
 mentaliter tamen hæc imperfectio originē
 dicit à dependentia à subjecto, etenim ità
 dependent à subjecto divisibili, & ita depen-
 dent ab omnibus & singulis partibus mate-
 riae quos informat, tanquam à causis tota-
 libus totaliter concurrentibus, quod dici
 non potest, quia idem effectus non potest na-
 turaliter pendere à duabus causis totalibus,
 vel certè dicendum foret pendere partiali-
 ter partialitate causæ, quod pariter absur-
 tum foret, quia vbi cunque est adæquatus
 effectus, ibi etiam debet esse adæquata cau-

salitas, saltem naturaliter, & potissimum in causa materiali. Sciendum tertio, differentiam rei spiritualis à materiali in hoc, ut supra in lucubratione de divisibilitate animalium perfectorum, consistere, quod illa nullam dicat dependentiam à quantitate, tanquam principio in penetrationis, hæc verò necessariò dicat per se primo ordinem ad quantitatem, seu rem quantitativam aptam extendi per quantitatem cum dependentia, aut certè connexione adæquata, & essentiali in actu secundo. ex quibus.

Dico mentem humanam esse indivisibilem, & spiritualem, hic verò non est fermo de divisibilitate essentiali, quia constat ex materia & forma, partibus essentialibus, nec hic ad rem facit divisibilitas Metaphysica, quæ constat genere, & differentia, sed tertio modo dico indivisibilem nullis constantem partibus integrantibus.

Probatur conclusio, si anima rationalis esset divisibilis tertio superius dicto modo esset quanta, & necessariò diceret ordinem ad rem quantam, quod falsissimum est, & si dixeris, anima rationale ordinari per se primo ad materiam, ut cum illa faciat unum per se, propterea ei competere divisibilitatem.

Respondendum est, dicere quidem ordinem ad materiam, non tamen cum dependentia ab illa, aut essentiali connexione.

ne cum illa in actu secundo ; siquidem anima rationalis non causatur à materia , ac propterea non pendet per veram causalitatem à materia.

Igitur sequitur illatio ; ergò ad hoc , ut aliquid dicatur materiale necessariò requiritur , vt dependeat saltem exigitivè à quantitativo per causalitatem , vel si non potest dependere per causalitatem , dependat saltem essentialiter in actu secundo , & sit connexum , ut ratio adæquaṭa , seu modus alicujus materialis , & quantitativi : corpus enim est quantum habens partes extra partes quantitativè , ergò quidquid dependet per se à quanto , seu re quantitativa , quæ apta est habere partes extra partes impenetrabiliter est corporeum , & materiale , & conceptus corporis est habere partes extra partes quantitativè ; et si possit habere partes integraliter , quæ non sint quantitativæ , quantitas ergò est radix extensionis quantitativæ impenetrabilis.

Probatur vltierius , anima rationalis non dependet ab aliquo materiali , & quantitativo tanquam à subjecto , nec etiam in actu secundo essentialiter pendet à materia , tanquam à ratione adæquata , cui sit cōnexa , ergò : & si verum est axioma , quod modus cognoscendi sequatur modū essendi , clarum est quod anima rationalis sit spiritualis , hæc enim cognoscit ea , quæ penitus abjecta sunt à

materia, fertur enim Intellectus in Deum, & Angelos, nec ylla proprietas mentis humanae operatio est quam intellectio, quae spiritu-
lis est, alias effectus altioris ordinis esset,
quam principium radicale a quo provenit,
quare verum esset dicere, quod modus co-
gnoscendi perfectior esset modo essendi, ve-
rūm quia mensura adæquata cognitionis est
ipsa substantia cognoscens, quandoquidem
proprietas substantiae cognitio est cogno-
scientis, ita ut sibi ipsi maximè commen-
suretur, vnde quod perfectius est substantia
cognoscente, non cognoscetur adæquate
ab illa, cum ergo anima rationalis cogno-
scat objecta spiritualia, & modus cogno-
scendi sequatur modū essendi, ipsa anima
entitative est etiam spiritualis, quamvis in
hoc statu propter dependentiam a corpore
quo vtitur, & organis corporeis spiritualia
obscure cognoscat, & difficulter. ex quo.

Infertur, anima est spiritualis, ergo in-
divisibilis, contra eos, qui tenent Angelou-
rum & mentis humanae ubi esse divisibile,
verūm indivisibilitas animæ eo ipso axio-
mate quod superius adductum est potest
comprobari, nam si modus cognoscendi se-
quitur modo essendi, & anima separata ut
communis est sententia cognoscit Ange-
lum indivisibilem, licet non secundum
adæquatam cognoscibilitatem, ergo etiam
anima in se erit indivisibilis, alias ut dictum
est,

est, altioris ordinis esset cognitio, quam ipsum principium radicale.

Verum difficultas videtur consistere
cum indivisibilis sit quomodo commensu-
retur corpori , siquidem extensio videtur
quasi dicere ordinem ad quantitatem , quæ
radix est impenetrationis , & hæc fundamen-
tum rei quantitativæ habentis partes extra
partes . Et ut verum fateor multum nego-
cij facescit illa extensio partium viventis ,
nam Aristoteles degenerat : dum loquitur
de imminutione dicit materiam , & quan-
titatem minui , formam autem manere ,
existimavit igitur nullam formæ partem cū
fluente materia fluere , sed totam animam
remanere , & ad reliquam materiam restrin-
gi , & cum de divisibilitate animalium dixi ,
quomodo anima confluat ad informandam
novam partem adgenitam , consideratione
dignum est ; si enim tota est in toto , & tota ^{1. Tex.}
in qualibet parte , cum indivisibilis sit , & ^{42.}
spiritualis , investiganda est ratio , quo pa-
cto id fiat eadem manente indivisibilitate

Verum antequam quidquam hac in re statuatur necessarium videtur, aliquid de nutritione & accretione prælibare ; Aristoteles enim in Physica auscultatione, accretionem ab aliis mutationibus separavit ratione terminorum, qui ex diversis categoriis summuntur : Generatio enim, & interitus est mutatio de substantia in substantia.

tiam , alteratio de qualitate in qualitatem latio de loco ad locum , ast accretio & immunitio de quantitate in quantitatem ; ex quo non est dubium omnes has mutationes differre essentialiter , quod deducitur à terminis , nempè à forma transeunte ad informandum vnde cum accretio fieri non possit sine multiplici aliarum mutationum cursu , hinc videndum est quomodo alimentum perveniat ad omnes corporis partes augendas , hoc verò clarius patebit in accretione animalium perfectorum , & quod de his dicetur , de omnibus reliquis animantibus , & stirpibus dictum esse inteligit , proportionaliter siquidem hæc accommodari possunt.

Cibus ergò , vt manifestum est , primum assumitur , & ob duritiem dentibus conteritur , quod nonnulli semi , seu primam coctionem appellant , sed magis consenteum est dicere præparationem , primaque concoctio studienda est in Ventriculo , ubi cibus non solum alteratur , sed etiam mutatur in chilum , vnde generatio , & corruptio , non enim potest fieri mutatio de substantia in substantiam , nisi sequatur generatio & corruptio ; fit enim generatio chili , & corruptio ciborum , denique iste succus ita elaboratus fertur adjetur , & hic pariter fit alteratio & generatio , generatur enim sanguis , & interit chilus , sanguis ad omnia mem-

menbra transmittitur per venas, & ex venis per minutissimos porros permeat ad partes solidiores , partes enim homo geneæ minutissimis poris conflatae sunt, quæ ad instar spongeæ à venis exugunt sanguinem , porique sanguine implentur , vbi à calore naturali ille sanguis alteratur, & actione ejusdem caloris densatur ad instar glutinis, tandemque in substantiam viventis convertitur , & hæc est nutritio seu ultima concoctio , & hoc continuò fit quo usque vivit animal, ita afferente Aristotele in libro de ortu & interitu , & quando animal amplius nutriri nequit , succedit necessariò ejusdem interitus. Verùm , non obstantibus jam dictis, adhuc difficultas temanet , qvomodo ex alimento extrinsecus assumpto totum vivens augeatur , aliqui dixerè hoc fieri per expulsionem , quatenus una pars pellit alteram , alii verò per veram extensionem , ex qua afferverunt fieri adeptiōnem majoris quantitatis & hanc esse mentem Aristotelis in lib. de generatione vbi dicit , quod id quod augetur locum mutet ; siquidem majorem quantitatē acquirit , ex quo fit transitus ad majorem locum, & dant instantiam de spongea , quæ si manu comprimitur minorem locum occupat , minoremq; dimensionem ; ast quamprimum dimittitur majorem ubicationem , ac majus dimensionis spatium occupat.

Hæc

Hæc sanè opinio tenenda est, quæ omnibus modisf ustineri potest, nam licet illa pulsio possit quodammodo deffendi, multas tamen patitur difficultates, quarum vnicar sufficit ad eam reprobandam, eaque est, cùm accretio fiat in vivente secundū omnem dimensionem, si enim per pulsum fieret, non fieret, vtique secundū trinam dimensionem, quia rectius appellanda foret juxta positio, quām accretio, quæ nil aliud est, quām motus à minore quantitate ad maiorem intrinsecum tamen, ex materia extrinsecus accedente: imminutio igitur erit motus à majore quantitate ad minorem, intelligitur verò de motu intrinseco, ex materiæ subtractione, sed satis sit, cum inferius abundè dicturisimus; redeamus igitur ad nutritionem.

Alimentum igitur duplex est, alterum remotum, & indigestum quod pluribus indiget concoctionibus: proximum alterum, & digestum, quod vnicar sola transmutatio ne convertitur in substantiam aliti, & hoc in animalibus est sanguis, sed si mavis juxta alios gluten quod ex sanguine mutatum est, in plantis verò aliquid proportionale sanguini aut glutini, succus nempe ille, in quem conversa, & transmutata est terra & aqua, fit verò prima concoctio aquæ, & terræ pro stirpibus in ipsa terra proxima radicibus, quæ est veluti venter stirpium.

Colligitur igitur tā alimentum proximum, quā remotum esse substantiam corpoream, & ratio est, quiā alimentum succedit in locū substantiæ deperditæ, ergò & ipsum debet esse substantia, vndē quod vni est alimentū sāpē alteri potest esse venenum ob temperamentorum diversitatem: venenum enim illud dicitur cujus qualitates vincunt, & prosternunt naturam animalis, vel si à sumente alteratur putreficit, & adjuncta putrefacit; aliqua tamen sunt animalia, quæ vtuntur cibis venenatis, viperæ Scorpionibus, sturni cicuta, coturnices napello, anates buffonibus, gallinæ araneis, ciconeæ viperis; quin imò Albertus magnus testatur se vidisse Coloniæ Agripinæ fæminam, quæ aranearum aucupio sese alebat, sic etiā memoriæ proditum est filium Regis cuiusdam Cambriæ adultum fuisse tamvenenatum, vt muscæ ejus cutē tangentes languesceret, & interiret, & historia Mitridatis Regis nota est.

Non ergò sine ratione dictum est superius alimentum esse substantiam, & non ^{r. Tex.} accidens, contra aliquos, & hæc doctrina ^{62.} desumitur ex Philosopho, qui degenerat: ait, quòd nutritur caro, esse potentia carnem; sed accidens non est potentia caro, imò constat, quòd accidens, vt tale, nec per Divinam, potentiam potest cum materia vnam substantiam componere, cum tamen animal substantialiter nutriatur, qua propter

propter homo solis accidentibus nutritus tota tandem materia deficiente esset homo solumodo equivocè : & tandem id , quod nutrire potest debet esse subiectum in quod possit induci forma substantialis viventis, sed in accidentia etiamsi sit quantitas non potest induci forma substantialis.

Nullum pariter elementum per se , & in statu suo naturali positum potest esse alimentum alicuius viventis, est Aristotelis de generat : & ratio videtur quia elementa in suo statu naturali habent duas qualitates vnam saltem in summo , quæ omnino contraria est complexioni animalis , ita ut elementum ratione hujus inconvertibile sit in substantialiam viventis , & accedit , quòd elementa non sint commessabilia , nec intransfribilia , quòd requiritur ad nutritionem: dictum est elementa in suo statu naturali , quia extra illum statum , & confusa ad invicem possent fortè nutritioni inservire.

His ità breviter enucleatis videndum modo est , quomodo anima informet partem noviter adgenitam; dictum quidem est per extensionem , vel quatenus communicat se ad majorem quantitatem materiæ informandam ; siquidem omnia corporis membra poris abundant , habentque se instar spongiorum manu compressarum , quæ si dimitatur undequaq; se dilatat , & majorem dimensionē occupat , nec major tamen nec mi-

2. Tex.
so.

minor se ipsa existit , nā spangia cu[m] porosa sit, si liberetur à compressione dilatando se , foramina recipiendo aëri pandit, ita etiam caro & alia membra , quæ poris foraminibusque plena sunt , alimeutum attrahunt , eique excipiendo aperiunt foramina , & sese dilatant , & si pars aliqua de novo generetur anima , quæ est in aliis partibus , seu in toto parti novæ sese communicat , quasi dilatando se per miram naturæ providentiam , vndè non dicitur migrare de subiecto in subiectum , quia hoc resonat solummodo quādo absolutè derelicto primo subiecto , se transfert ad aliud , in nostro verò casualiter se habet , informando totum subiectum , quod priùs informabat , extendit se communicativè , & format novam partem materiæ per occupationem majoris quantitatis , ideo non absolutè extensa est , sed coextensa corpori , ita , vt si centies corpus majus fieret , etsi per diminutionem rēduceretur ad summam parvitatem , nihilominus nec maior , nec minor fieret , quare rectè lensit Aristoteles , cùm dixit fluentibus partibus Cap. 16. materiæ formam non fluere :

Cum magno fundamento zabarella de accretione , & nutritione dicit totum viventis corpus esse perfectibile , sive maius , sive minus , & dum fit majus per alicuius novæ partis generationem , verè debere dici animam adæquari corpori , vel corpus ip[s]i

ipsi animæ cum hæc pluribus facultatibus
 prædita sit , tunc dici corpus illi esse adæ-
 quatum perfectibile , quando omnibus in-
 strumentis præditum sit , quo ad exercen-
 das omnes illas facultates requiruntur , vn-
 dè si quis homo nascatur sine manibus , &
 sine pedibus , anima non habet integrum
 & adæquatum perfectibile , quia non potest
 in illo corporé omnes suas facultates exer-
 cere , indeque dici posse animam adgene-
 ratam noviter partem informandam effun-
 di absque motu , quis verò qualisque sit ille
 transitus nos ignoramus , quoniam non est
 vocandus motus localis , neq; omnino mo-
 tus , quia non movetur nisi id quod corpo-
 reum est , quia verò dicit animam esse ma-
 teriale , quatenus addicta est materiæ quâ-
 tæ , sine qua existere nequit , immateriale
 verò , quatenus transit secundùm partes
 ejusdem corporis ad informandam aliam
 materiam similem à qua absolutè non pen-
 det , neque educta est , hinc aliud est dicere
 mutationem alimenti vltimi in sustan-
 tiā veluti carnem , aliud extensionem seu
 influxum animæ ad eam , mutatio enim a-
 limenti verus est motus , est enim alteratio
 & alteratio quidem in tempore facta , quis
 autem hanc absq; motu salvabit ? siquidem
 ea in sequitur substantiæ mutatio ? ast osten-
 sio animæ ad illam adgenitam partem , su-
 bitanea , ac momentanea est , quare nomi-
 no

ne motus nullo modo vocanda , & idem af-Cap. 11.
 ferit Zaborella de partitione animæ , vbi
 ait omnem formam informantem mate-
 riām , & constituentem compositum , esse
 extensam ad extensionem materiæ , proin-
 de totam secundūm extensionem suam in
 toto esse , non totam autem in parte , sed
 partem in parte , loquitur verò de vegetati-
 va , & sensitiva in gradu completo , subdit-
 que necesse esse , vt ad divisionem corporis
 dividatur , albedinem enim non esse per se
 quantam neque dividuam , sed esse quan-
 tam , ac dividuam per accidens ratione ma-
 teriæ cui inest .

Quare Aristoteles in Physicis probans 8. T. 28.
 primum matorem esse immateriale , ne-
 que habere magnitudinem , deducit argu-
 mentum ex eo , quòd forma materialis di-
 vidatur ad divisionem materiæ , ita , vt in
 parte materiæ sit pars formæ , non forma to-
 ta , ex quo facit divisionem formæ ex divi-
 sione magnitudinis , in qua est , extenditur ,
 ergò anima ad corpns in actu primo , qua-
 tenus nempe informat , & totum & partes ,
 non extenditur in actu secundo quatenus
 vtitur corpore , & respicit organa ad ope-
 randum , tunc enim extenderetur quanti-
 tativè ad extensionem materiæ , est igitur
 secundum omnes suas qualitates non solùm
 in toto , sed in qualibet parte originaliter
 non verò subiectivè , ex quibus fit illatio

M

quòd

quod formæ per se quantæ non sint , in materia enim recipiuntur sine illa quantitate & figura , quod nobis provida natura ad hominem ostendit in plantis , quarum quantitas & figura variè mutatur manente eadem anima ; alia enim est figura & quantitas germinis è semine primo pullulantis , alia proceræ postea arboris , & videmus in hyeme caules emori in hortis in sola radice manente anima , quare figura corporum est effetus formarum & animarum ; forma enim ipsa est quæ sui corporis quantitatem terminat , vnde inducit figuram , eamque in nutritione & augmentatione conservat , quo ergò figuræ & magnitudines corporum viventium , tot animarum differentiæ ; hinc abies aliam , quercus aliam , rosa aliam , bos aliam , canis aliam ; & sic de cæteris ; figura enim est posterior anima non prior , quapropter extensionem vocamus communicationem , quatenus anima communicat se corpori ; est igitur extensio communicati-

Exerc. va , & concludendum est cum Scaligero de

359. motu Angelorum , quod Angeli non exten-
Sect. 12. dantur per motum localem , sed solummodo per extensionem sine quantitate prædicalentali , & moveantur non motu corporeo mutando locum , sed motu rei incorporeæ extensæ , mutando ubi , & alio loco afferit :

Exerc. Omne , quod movetur in loco est , anima non
307 est in loco , quia non est quanta , quantum e-
Sect. 13. nim

nim in omnibus quanti partibus inesse totum non potest, ast anima est in quacunq; parte corporis, quod est quantum, (& subdit) cum introducatur eam in partem, quæ accessit anima, quæ antea erat sub magnitudine sesquipedali, promovetur ad sesquipedem, (& paulò post) transfertur per promotionem sui ipsius anima à se ipsa ad partis addita totum, ad circumferentiam usq; ultimam, completa interea tota materia, quæ interjacet, & hæc satis sint dicta de coextensione.

LUCUBRATIO XIV.

An omnes Animæ humanæ sunt ejusdem rationis in omnibus individuis?

A Verroës de anima docet vnicum ^{3. Com.} numero intellectum, vnamque numero animam esse in omnibus hominibus, sed quia hæc sententia damnata est in Concilio 3. Lateranensi sub Leone X. sessione 8. Damnamus inquit omnes assertantes animam intellectivam esse vnicam in cunctis hominibus, hanc eandem doctrinam seqvutus est Themistius in 3. de anima, Pythagoras verò, quem refert Aristoteles admittebat solummodo certum numerum animarum transmigrantium de corpore in corpus, quam transmigrationem Phi-

lo sophus appellat fabulam , sed omissis istis
recedentibus à vera doctrina.

Dicendum est ad numerum hominum
multiplicari numericè animas : primò hæc
sententia comprobatur autoritate Aristote-
telis , qui vt supra ostensum est expressè do-
cuit animam etiam rationalem esse for-
mam non assistentem , sed informantem ,
vndè sequitur in pluribus hominibus plures
esse animas , vna enim forma non potest
informare plures materias ab invicem sepa-
ratas , ita etiam Aristoteles de anima ait ,
non posse quamlibet animam quodlibet
corpus ingredi , sed certum quodam : & in
Metaphysicis ait in ijs , quæ continentur
sub eadem specie , nec inter infima dari
prius & posterius , neque melius & deterius ,
quod tamen juxta illam sententiam con-
tingeret .

1. Tex.
53.

2. Tex.
11.

Sed vltérius ratione probatur , vnu s
enim homo habet scientiam vnius objecti ,
alter verò errorem , & ignorantiam , vnu s
delectatur re vna quam alter odit , ergò isti
habent diversas animas , quibus ita operan-
tur . Sed fortè dicere posses id provenire
propter diversitatem organorum , melius
vel pejus dispositorum , imò quòd vbi me-
lior est dispositio , & organizatio ad formam ,
eo perfectior est forma inducenda , siqui-
dem forma perfectior arguit perfectiores di-
spositiones , & anima perfectior perfectio-

res

res organizationes, siquidem ipsa experientia docet animam vnam præ alia in hominibus , & habere meliores dispositiones , & organizationes ; ergò inferunt , vna anima est perfectior altera non specie, verùm individualiter, quod libenter concedimus, alias idem dici posset ex operationibus perfectioribus , nam videmus quandoque aliquem subtiliter , prudenter , & ingeniosè discurrere , alium è contra hæbetem , ingenio stolidum , & elinguem , ergò deberet dari principium inæquale harum operationum.

Nulla certè patet ratio cur sit adstruenda talis inæqualitas animarum , cùm omnia salventur quæcunq; in contrarium dici possent per inæqualitatem dispositionum , & organorum , hæc enim sufficienter refundi potest in quædam extrinseca impedimenta , & in varias causas per quas anima impediri potest quo minus rectè , & debitè operetur ; imò quo minus possit sibi dispositio-nes adæquatas , & proportionata organa ad vitales operationes debitè exercendas producere : primò id accidere potest deffectu materiæ , ita , vt insufficiencia disponat: secundò defectu spirituum vitalium necefariò requisitorum , qui defectus potest ori-ri, aut ex infirmitate matris, Patris &c. tertio ratione temporis extrinsecè aërisque inclem-mentiæ , cælorum influxus , quartò ratione variorum accidentium , vt quia mater ter-

retur, comprimitur, vel quia intemperatè vivit, aut parum alimenti suppeditat embriori, ratione quorum fætus ante tempus effunditur; & ita anima nequit disponere organa debita, ex quibus etiam concludas mirum non esse, quod diversi homines diversi modè, & inæqualiter operentur, ne tamen inæqualitas operationum procedit ex inæqualitate animarum, vndè ad id, quod supra dictum est, pro responsione fattendum est omnes mentes humanas ejusdem nobilitatis ac præstantiæ esse, ita, vt ratione propriæ essentiæ æquè nobiles exigant copulativè dispositiones, sed quia vt dictum est ab extrinseco accidentur impedimenta, ideo nullo modo refundendum esse inæqualitatis vitium in ipsam animam, sed in organa, quæ cogunt animam ita operari tanquam in materiam non aptè dispositam:

2. cap. 1. & indè videntur Conimbricenses in libris *Quæst.* de anima defumpsiſſe argumentū ex ipſo *5. art. 2.* Aristotele, vbi illi expreſſe dicunt defectum operationum, quæ oriuntur ab eadem potentia secundūm speciem, non à majori aut minori perfectione ipsius potentiae emanare, sed id defectui aut perfectiori organorum adscribendum, & ratio in promptu est; quia anima non dicit ordinem ad materiam quomodo cunque, sed dispositam & organizatam, vt possit operari, ergonil mirum si non sint debitæ dispositiones &

organā, quōd non possit bene operari, verūm quōd ex inæqualitate dispositionum, & organorum non benè arguatur inæqualitas animarum ex eo patet, quia videmus aliquem hominem ingeniosum & prudentem, optimèque dispositum ad ratiocinandum, & eundem postea sive ex infirmitate, sive ex alio aliquo accidente fieri hæbetem & tardum, sine ingenio, sine judicio, aliciumque tardum, & hæbetem medicamentorum beneficio, aut mutatione complexionis evadere ingeniosum, id fieri sine dubio non potest ratione diversarum animalium cum eadem anima à se ipsa diversa esse non possit, ergò sicuti in eodem homine ex diversitate & inæqualitate organorum, & operationum non bene arguitur diversitas, & inæqualitas animarum, ac etiam sicuti in tali casu in eodem homine ab extrinseco oritur illa organorum & dispositionum diversitas, & consequenter operationum, ita etiam dicendum est in diversis hominibus de diversis operationibus. Unum fortè restat contradicendum, quod nempè quælibet res ab origine debeat esse talis, qualis in eo statu hic & nunc est ponenda juxta suam exigentiam magis vel minus perfecta, sed ex hoc sequeretur, quod anima, quæ est insurdo à nativitate, aut muto, esset natura sua surda aut muta seu exigens surditatem; & rectè tales animæ differre dici possunt ab

animabus ingeniosorum specie propter notabilem diversitatem , cum s̄æp̄e videamus ingeniosissimorum virorum filios hæbetes & stupidos , quod non ratione animæ pariter dicendum est , sed organorum id procedere , ergo res non debent esse ab origine tales , quales forma exigit naturaliter , vt non possint ab extrinseco impediri : Etenim si cuti duæ quantitates quantitativæ diversæ , sunt necessariò inæquales , ita etiam res duæ essentialiter diversæ , debent etiam essentia liter esse inæquales .

LUCUBRATIO XV.

Vtrum intellectus agens differat ab intellectu paciente ?

s. Tex.
xx.

Aristoteles de anima , intellectum agentem ait esse ad instar luminis , & prout lumen facit colores , qui potestate sunt , esse actu colores , & prout lumen non agit in oculum , sed in objectum colorem , & ipsum dicit de potestate ad actum , ita intellectus agens agit inphantasmata , non in intellectum patibilem , præter D. Thomam hanc sententiam tuetur acriter Joannes Bavonius in 1. sentent. quæst. 2. prologi .

Alij verò existimarunt intellectum agentem terminari in patientem , & vnam eandemque esse substantiam , & vnum intellectu-

tellectum : hanc propugnat Joannes Gan-
 davensis de anima , vbi dicit officium intel-
 lectus agentis esse agere in intellectum pati-
 bilem , non in phantasmata , ipsumque in
 intellectu patibili producere actum intelli-
 gendi . Ita quoque Simplicius de Anima
 parte 2. vbi inquit , verè Aristotelem com-
 parare intellectum agentem lumini , quod
 quidem inseparabile ait à rebus quæ illumi-
 nantur , certè hæc sententia videtur sufful-
 ta authoritate Aristotelis de anima , vbi ex
 eo , quòd detur , intellectus patiens argu-
 mentatur , quòd detur etiam agens , dariq;
 agentem propter patientem , vt agat in
 eum . Nonnulli verò existimant intelle-
 ctum & in patibilem , & in phantasmata a-
 gere , ducti primò authoritate Philosophi in
 eodem Textu 17. vbi non obscurè videtur
 asserere actionem agentis dirigi in patientem : Text. verò 18. etiam in Phantasma-
 ta , & hi non distingvunt agentem à patibi-
 li essentialiter , seu entitativè ; dicunt enim
 quatenus agit , quòd sub ista formalitate di-
 stinguatur à paciente , sed si consideretur
 propria essentia intellectus abstrahendo ab
 actione & passione , quòd nulla assignabilis
 sit distinctio , quatenus enim producit in-
 tellectionem nuncupandum esse intellectum
 agentem , & quatenus eadem intellectio recipitur in eodem , vt principio vitali ,
 dicendum esse patientem : vndè Marcus

3. Qua-

stio 24.

C. 25.

3. Par-

tic. 18.

3. Tex.

17.

Antonius Zimara in lib. de anima, ait intellectum agentem esse quasi formam in intellectu materiali, & quod ipse agat intellecta, & recipiat ea secundum intellectum materiale, intellectum vero materialem non esse generabilem, neque corruptibilem;

3. Com-Averroes de anima recitans opinionem
mentis. Themistij & Theophrasti, eos inquit existi-

4. 20. masse intellectum agentem, & intellectum materialem nec non intellectum in habitu esse unicum intellectum subiecto, & quod actio & receptio intelligantur secundum similitudinem, juxta vero propriam sententiam, ait animam intellectivam componi ex intellectu possibili, & intellectu agente, tanquam ex duabus partibus essentialibus realiter distinctis, & quod recipiat species intelligibles per intellectum possibilem, & quod agat, & abstrahat per intellectum agentem, sed utrum hi duo intellectus sint distincti nec ne, postea videbimus, modum solum investigandum est quid sit intellectus agens, quid patiens.

Anima igitur rationalis, & intellectus idem sonat, ac idem est, ut ostensum est superius, cum potentias non distingui ab anima probatum est, & cum anima versetur circa quocunque ens, ut Philosophus docet in metaphysicis, ubi est inquit scientia quædam, quæ speculatur ens propter ens, & quæ ei per se in sunt, haec autem speculatio,

**5. Tex.
xi.**

latio, ut palam est fit solum per intellectum, aliæ vero potentiae dempta voluntate, quæ intellectum sequitur, intelligendum est de de actu secundo, vel de operatione, determinatum habent objectum; ut visus colores, sensu qualitatem visibilem, auditus sonum. &c.

Ratio tamen certitudinis & attingentiae ab omnibus aliis facultatibus superatur; sensus enim circa proprium objectum dempto impedimento non errat: intellectus vero cum à sensibus abstractus, raro veritatem attingit, quod manifestè apparet ex diversis opinionibus circa idem objectum, quod non contingere si indubitate certitudo haberetur, unde intellectus humanus circa quocunque ens versatur quo ad desiderium & inclinationem, secus quo ad attingentiam: hinc Aristoteles in metaphysicis: omnes homines scire natura desiderant, quare idem Philosophus in Ethicis, mentem humanam vocat habitum principiorum, & in libris magnorum moralium habitum circa principia intelligibilia; & in Moralibus Nichomachiis intellectum principiorum, ideò aliqui negant dari intellectum agentem tanquam formam informantem, sed illum vel esse Deum, vel assistentem intelligentiam, inter quos primum obtinet locum Averroës cum omnibus Averroistis, Alexander Aphrodiseus, &

I.
6.

6. cap. 6.

& Avicenna, qui asserit species intellectiles produci ab intelligentia seu Chalcodea, & hujus etiam opinionis videtur fuisse Durandus in 2. dist. 3. quæst. 5.

Ego verò non abs re existimo sequendum Aristotelem; dico igitur dari intellectum agentem principium producens species intelligibiles objectorum, quæ debent intelligi, & hæc doctrina est plurimorum gravissimorum Philosophorum, & præcipue D. Thomæ 1- parte quæst. 3. Soarij lib. 4. cap. 2. & præcipue lib. 2. de Angelis cap. 1. no. 15. & disp. 6. Metaphysicæ, Rubij tractat. de intellectu agente, & aliorum.

Probatur ergò primò conclusio auctoritate Aristotelis, qui in libris de anima, docet quod id quod est in potentia ad aliquid debere ab aliquo fieri in actu, intellectus verò est in potentia, ut omnia fiat ea scilicet percipiendo, non autem esse actu omnia, quia alias semper esset intelligens & habitualis, cùm tamen idem eodem libro asserat intellectus secundum se est ut tabula rosa, in qua nihil est scriptum actu, ideoque debere dari aliquem intellectum, qui omnia faciat, qui faciat intellectum existentem omnia potentia esse actu omnia, idque producendo in illo species intellectiles, & quoniam intellectus, quem nullo modo distinguimus ab anima, est juxta luculenter dicta forma informans, & non assistens necessaria-

riò dicendum est dari talem intellectum, qui sit principium intrinsecum actuum vitalium, aliàs si Deus, aut intelligentia produceret illas species, talis actio non esset vitalis, quia vt ostensum est ad rationem vitæ spectat, vt actus vitales non solùm producantur à tali principio, sed vt etiam recipientur in eodem, quod de essentia actionum immanentium est; si ergò Deus aut intelligentia assistens Averroistica produceret similes species intelligibiles, & hæc recipierenetur in intellectu patibili distincto, non essent certè vitales, siquidem ab uno principio producerentur, & in altero recipientur, & proindè non essent immanentes, sed penitus actiones transeuntes, ergò dicendum est dari talem intellectum agenter contradistinctum à Deo, vel quacunque intelligentia, immò eum esse veram formam informantem, quæ completem dat esse hominis, & per quam homo constituitur, & hæc quidem videntur desumpta ex autoritate, quid verò rationes ponderis habent videamus.

Ex ratione verò argumentandum est ita: debent in intellectu dari species intelligibiles immateriales per quas fiat intellectio: sed illarum nulla esse causa efficiens nisi intellectus agens, ergò major clara per se est, nam prout species necessariæ sunt ad sensus externos, ita etiam necessariæ sunt in

in intellectu, debet enim objectum vni-
potentiae, vt ab illa cognoscatur, & cum
potentia ex se sit indifferens debet determi-
nari ad cognoscendum hoc, vel illud ob-
jectum per speciem; minor verò probatur,
quia non possunt produci ab intelligentia
creata, hæc enim solum habet vim pro-
ducendi motum localem in alio subiecto: se-
cundò neque dici potest, quod producan-
tur à Deo, quia quando potest haberi causa
naturalis creata frustra, & sine necessitate
recurrimus ad Deum. Non possunt etiam
produciri à phantasia, aut ab ullo alio prin-
cipio materiali, quia hæc species debent esse
spirituales, sunt enim in intellectu spiritua-
li, & cum nulla alia appareat causa cui pos-
sit hæc specierum productio attribui nisi a-
liqua potentia spiritualis animæ, necessario
ita afferendum est, aliàs vt dictum est dare-
tur harum specierum duplex principium
extrinsecum productivum intrinsecum re-
ceptivum, & illorum nulla daretur vita-
litas.

Quapropter dico vnicum esse intelle-
ctum indistinctum, fungentem dupli-
mūnere, nempè agentis & passibilis, vnicum-
que principium à quo emanant diversæ
functiones, nunc dici intellectum agentem,
nunc passibilem, vnlca verò videtur ratio
qua conclusio comprobatur, quia non sunt
multiplicanda entia sine necessitate, nulla
verò

verò assignabilis est necessitas cum omnia
 salvari possint per vnicum identificatum
 intellectum, quinimo si distinguerentur rea-
 liter sequeretur, quòd intellectus agens de-
 litesceret otiosus in anima separata, quia
 in eo statu nullum actum habere potest,
 nulla enim in eo statu fit productio specie-
 rum ex phantasmatibus, & licet aliquibus
 videatur arduum, quod de eodem intellectu
 verum sit dicere, intelligit, & non intelligit,
 intellectus enim passibilis intelligit, quia fit
 omnia, intellectus verò agens non intelli-
 git, sed producit species intelligibiles, ve-
 rūm parum interest, vtrum sit potentia co-
 gnoscitiva, vel non, & actio, nam etiam
 in intellectu passibili datur actio aliqua,
 quæ non est cognoscitiva, scilicet actio qua
 producitur habitus intellectualis, hæc enim
 licet resultet ex cognitione, non est tamen
 cognitio, ergò sicuti hæ actiones quæ sub-
 ordinatæ sunt revocantur ad eandem po-
 tentiam, ita dici debet de actione intellectu-
 stus agentis & passibilis. Enimverò, vel
 sunt ambo veri intellectus, vel non? si ita;
 ergò ambo verè intelligunt, si minimè; qui
 non intelligit non erit intellectus, & si di-
 xeris etiam à natura duos esse constitutos o-
 culos, quorum vnicæ est potentia visiva,
 duas aures ad vnicam potentiam auditivi-
 am, cur non etiam circa intellectivam?
 sed quis non videt, quòd magna sit dispa-
 ritas

ritas : non enim visus duplex est potentia,
 nec duplex auditus, sed vna in sua formalitate
 totaliter in duobus organis ad munia
 facilius obeunda, vnde quidquid videt vnu
 s oculus posita æquali approximatione,
 videt & alter, verùm ponuntur duo intellectus ,
 qui opera , & virtutes omnino dicas exercent , ita, vt vnu ipsorum, vt supra
 dictum est, non erit propriè intellectus , sed
 quia munia quæ attribuuntur intellectui agenti minimè dicunt competere intellectui
 passibili , an id ita sit , inquirendum est. Di-
 citur igitur primò , munera intellectus agentis esse illustrare phantasmata , & ea ex-
 purgare , & quatenus materialia sunt ea red-
 dere spiritualia , vt ita recipi possint in in-
 tellectu passibili , quasi lumen , sed revera
 lumen non est reale , quia Aristoteles vocat
 quasi lumen per similitudinem , vel si ita ,
 dicendum est esse lumen spirituale , quid
 melius appellare libuerit virtutem illustran-
 tem , distinguentem ; ast si virtus est , ali-
 cujus esse debet virtus , non certè alterius
 quam intellectus passibilis , ergò ipse passi-
 bilis erit principalior , nam virtus alicujus
 est ab ipso dependens cujus virtus est , nam
 qui dicunt potentias emanare ab anima ,
 ideoque distinctas fateri quoque coguntur
 ipsas potentias esse virtutes animæ ; cur ergò
 præstantior & divinior vocatur ab Ari-
 stotele ? nisi quia vt ipsem subdit , quia
 no-

nobilius est agere quam pati, quare ergo & actio, & passio non possit refundi in eundem intellectum nulla est ratio, quæ in contrarium suadeat, & si dixeris quod nihil agat in se ipsum, hoc objectum inferius diluendum erit.

Et quod vltterius ejus muneris dicunt esse illustrare, & defæcare phantasmata, & si quis etiam contra ipsum Aristotelem dixerit intellectum agentem non cognoscere, ergo intellectus cæcus, est lumen libenter audirem quomodo explicent illud lumen, & in quo consistat illa claritudo, & quia dicunt phantasmata esse tenebrosa, & obscura respectu intellectus possibilis spiritualis, ideo ea indigere aliqua potentia qua illuminantur, & reddantur apta ad eliciendas ex eis species intellecationis: verùm existimandum est Aristotelem in textu citato per agens, seu actionem non intellexisse absolu- tè effectiōnem, quod patet ex eo, quia intellectum agentem comparat lumini, ne- mo verò est, qui ignoret lumen nihil attri- buere coloribus, nisi quod faciat eos esse vi- sibiles per communicationem sui ipsius, licet nihil efficiat, nec quidquam tribuat eis; pari ratione intellectus agens quocun- que nomine vocetur jungitur phantasma- tibus, vt forma constituens objectum mo- tivum intellectus patibilis, nam cum alibi posuisset intellectum patibilem, arguit ne- Tex. 17.

Cessitatem intellectus agentes , nam imper-
 fectio illius perfici debet per aliquid aliud , &
 id non est nisi intellectus agens , sed cum
 dictum sit essentialiter non distingui ab in-
 vicem , arguent ergo idem ager in se ipsum ,
 respondendum est ex hoc nihil absurdum se-
 qui , dicant enim an non Philosophus ipse
 in diversis locis animam appellat formam ?
 actio spectat ad formam : an non alibi ap-
 pellet locum formarum quasi subjectum
 formarum , an non eidem attribuit nomen
 materiae ? & tamen arguendum non est au-
 nimam esse subjectum materiale , sic par-
 ter si sub diversa formalitate accipiatur in-
 tellectus quatenus recipit species vocatur
 passibilis , & quatenus easdem producit ab
 Aristotele vocatur agens , & dum docet e-
 undem intelligendo fieri omnia , idem qui
 prius fuit tabula rasa , & solùm in potentia
 recipiendo , & abstrahendo à materialitate
 phantasmatum fit omnia , id est actu intel-
 ligens , abstrahere enim cadit sub nomine
 actionis , & recipere sub passionis attributo ;
 & si hæc glosatio non satisfaceret dicendum
 est nihil in se ipsum agere actione transmu-
 tativa , posse tamen agere actione emanati-
 va , & quod sub diversa ratione idem possit
 movere se ipsum ambigendum non est , po-
 tens enim est argumentum de elementis
 prout ostensum est superius , dum gravita-
 tem , & levitatem profluere ab essentia for-
 marum

marum tanquam accidentia formam consequentia ostensum, quorum alia permanentia, ut risibilitas in homine, alia transiuntia, & fluxibilia, ut est motus, iam ergo dum elementum terrae tendit ad suum centrum deorsum, hoc aliunde non sit, nisi à forma elementari terrae, ergo forma est movens, & tamen cum terra deorsum tendit movetur, & ipsa forma, ergo & movet & movetur, movet ut forma, movetur ut pars elementi, quare rectè dicitur; idem sub diversa ratione agere in se ipsum, unde motus elementi insequitur formam; igitur forma est effectrix motus per emanationem, à tali namque efficiente, ita emanat effectus, ut ipsum insequatur sicut umbra corpus absque illa transmutatione; siquidem plerique adversariorum fatentur in intellectu passibili non solum esse passionem, sed etiam actionem, quoniam receptis phantasmatis abstrahendo judicat, & tale judicium est actio, quare eidem substantiae competit, & agere, & pati: & hoc ipsum videtur voluisse Aristoteles in Physi-^{8.} Tex. vbi agit, de agente solum transmutante, quod necessariò requiritur distinctum à Tex. ^{40.} 32. Patiente, supra verò loquitur de efficienti per emanationem dicit grave & leve non habere in se principium motus, sed solum passivum, effectivum enim habet extra se, a quo ducitur de quiete ad motum: effici-
 N 2 enti

enti verò per emanationem tribuit agere,
seu operari; ait enim grave & leve agere
statim & operari, quare agens per emanatio-
nem non potest esse distinctum realiter à
patiente, à forma namque occidentia ema-
nant in eodem composito formato, & cum
anima sit actus corporis organici potentia
vitam habentis, nonne quam primum cor-
pus organicum actuatum est, vivens est? &
tamen dicitur actu & potentia sumpta di-
versitate ex diversis respectibus, in actu e-
nim primo quo ad principium vivendi actu
est in primo instanti quo forma informavit,
in actu verò secundo adhuc est in potentia,
quoniam non operatur licet possit operari.

Verùm quid dicendum sit de anima
separata, quæ cum independenter à phan-
tasmatibus operetur, nonne ipsa speculan-
do, & intelligendo movet, & moveretur?
¶ Tex.
s. 52. ideoque Aristoteles de anima redarguit an-
tiquos, quòd loquti sint de anima quasi
communicata corpori, & de hoc nihil ul-
tiùs dixerint, nempé de corpore susceptivo
ipsius animæ, inquit igitur hanc agere, il-
lud verò pati, hanc move, illud moveri,
sed cuilibet patet, quòd si corpus move-
tur, & animam moveri necessè sit, saltem
ad motum corporis, & quod ille motus cum
sit actio vitalis debet recipi in eodem prin-
cipio à quo productus fuit. Ergò & mover-
& moveretur: & videamus quid Philosophus
hac

hac de re afferat in Physicis ; inquit enim ^{3. Terc.} jam multa agent & patientur à se invicem , ^{s.} nec ullo modo dubitandum est , quod actione animali idem potest esse agens & patiens , idemque intelligit , & amat se ipsum .

Secundum munus ajunt esse abstrahere vniuersalia , sed immò hoc supra ostensum est speciare ad intellectum passivum ; etenim vniuersalia , vel cognoscuntur ab intellectu abstrahente , vel non ? si ita , ecce intellectus passibilis est cognoscens ex dictis , & non solùm vniuersalia cognoscir , sed & particularia , quia sub eodem objecto intellectus continentur , & sunt cognoscibilia ; quomodo enim poterit segregare alia ab aliis nisi priùs juncta cognoverit ? si vero non agnoscit , ad quid abstrahit , ergò vnicus sufficit intellectus .

Tertium munus attribuitur intellectui agenti , quod res intelligibiles in potentia , faciat actu intelligibiles , ex superius dictis satis patet & hoc competere intellectui patibili , & licet aliqui dicant , quòd ista intelligibilitas se extendat solùm ad vniuersalia , & quòd singularia non cognoscantur ab intellectu , sine ullo fundamento hoc afferitur , nescio sanè quomodo negare possint , quod ipsa etiam singularia veniant sub objecto intellectus , etenim discurrit per inductionem , & inter ipsa & vniuersalia differentiam statuit , nec dicant ab Aristotele

tele dicit vniuersale pertinere ad rationem,
singulare verò ad sensum, hoc enim dixit
comparativè, nam verum est, quod vni-
uersale sola ratione percipiatur, & quòd so-
lus sensus cognoscat particulare, fit ergò
hic comparatio univerſalis ad sensum, non
verò intellectus ad universale, & hoc jure
videatur Philosophus in posterioribus, ubi
2. Cap.
vlt. te-
neo.
inveniemus universale abstractum cognoscere à solo intellectu, universale verò singu-
larizatum percipi etiam à sensu.

Quatum munus attribuunt producendi species intelligibiles, certè ridiculum
est afferere hoc non posse attribui intellectui
passivo, non quidem ut passivo, sed ut a-
genti, nam, ut dictum est, eidem substanciæ
competit vis & agendi, & patiendi, sub
diversa tamen formalitate, & siquidem spe-
cies vocantur vicariæ objecti, quæ nul-
lam causam materialem seu receptivam
habent nisi solam animam, quæ cum spiri-
tuales sint, non possunt recipi in materiali,
nam antequam recipientur debent defac-
ri & depurari ab omni materialitate ad hoc
ut possint concurrere cum potentia spiri-
tuali ad actum spiritualem, etenim species
impressæ quas constanter admittendas esse
censeo, tam sensuum internorum, quam
externorum recipiuntur in materia primò
organizata, ideoque materiales, & ejusdem
fere ordinis & rationis, cujus sunt species

productæ ab objecto per medium usque ad oculum ; nam sicuti istæ recipiuntur in materia medij scilicet aëris, ita illæ recipiuntur in materia organizata.

Intellectum ergò agentem appello animam immutatam per actus sensus interphantasiationis seu appetitionis , quæ ex superiorius dictis elicitis speciebus ex phantasmatibus spoliatisque materialitate se sola producit species intelligibiles & spirituales , undè sicut anima producit species intellecuales , ita phantasia se sola potest producere species actuum externorum & objecti , immutatur enim per actus sensuum externorum , nam tam benè immutatur & determinatur in genere causæ formalis phantasia per actus sensuum externorum , qui in eadem anima omnes recipiuntur , ut producat speciem actus externi & ejus objecti , quam immutatur & determinatur intellectus agens per actus sensuum internorum , ut producat speciem phantasiæ & ejus objecti , ut voluntas determinatur per intencionem , & immutatur formaliter ad hoc , ut producat se sola volitionem ; siquidem non potest concurrere species sensus interni ad speciem spiritualem producendam , neque ipse actus seu phantasma , neque objecta , quia hæc omnia sunt materialia , ex quo constat , quod si intellectus agens est potens se solo producere speciem sensus in-

terni & ejus objecti , etiam phantasia & potentiae internae sensuum , quæ sunt idem cum anima poterunt producere species aetuum sensuum externorum , & eorum obiectorum .

Instant tamen aliqui , quod posito actu sensus interni , seu phantasiatione intellectus agens speciem producit , inferunt ; ergo actus ipsi sensuum concurrunt ad species illas producendas , negatur enim consequentia , quandoquidem actus sensus externi determinat potentiam sensus interni , seu animam immutando illam , & illuminando in genere causæ formalis , ut producat speciem actus & objecti cogniti , & percepti ab alia potentia nec ulla ratio suadet , quod actus sensuum externorum seu etiam species concurrant effectivè ad actus sensuum internorum , & ratio evidens est , quia intellectus agens se solo , hoc nomine appello secundum communem loquendi modum , producit speciem impressam non concurrentephantasmate ad illius productionem , ergo etiam potentiae sensuum internorum poterunt suas species producere sine concurso specierum sensuum externorum , non est enim major ratio cur intellectus agens id præstare possit , & non sensus internus cum sit eadem anima , quæ immutata , & illuminata per actus potest producere tam speciem materialem illorum aetuum

etuum & objectorum, quam spiritualem,
 sunt autem species sensuum internorum, ut
 cuilibet notum est, materiales, quia reci-
 piuntur in subiecto materiali, nempè ma-
 teria cerebri seu spirituum, intellectuales
 verò sunt spirituales, quia à spirituali causa
 producuntur, & simul recipiuntur in sub-
 jecto spirituali scilicet anima, aliàs sequere-
 tur speciem intellectualis fore materia-
 lem. Sequela ista non foret difficilis pro-
 bationis; omne enim illud est materiale,
 quod vero & Physico influxu per se pendet
 à materiali & quantitativo, sed species im-
 pressa intellectualis dependeret per se vero
 & Physico influxu à phantasmate materiali
 & quantitativo, quod recipitur in organis
 seu materia organizata, ergò species intel-
 lectualis erit materialis, ex quo aliqui do-
 cent connaturaliter, nec per potentiam di-
 vinam, quidquam materiale agere posse in
 spirituale, cùm illud sit materiale quod de-
 pendet à subiecto materiali connaturaliter,
 non enim potest esse causa efficiens adæ-
 quata materialis alicujus rei spiritualis, imò
 neque inadæquata, siquidem ex eo non po-
 test res materialis esse causa adæquata rei
 spiritualis, quia non habet proportionem
 causæ materialis ad effectum spiritualem,
 nec potest causare id quod non habet; sed
 sive sit causa adæquata, sive inadæquata de-
 bet habere proportionem ad effectum, de-

betque habere in se formaliter aut eminen-
ter quod causat , ergò.

Verum quia dicunt intellectum agen-
tem conjungi per quemdam contactum
virtualem phantasmatis seu speciei impres-
sæ materialis & illuminari ab intellectu.

Sed quid addat agenti corporeo illa
vnio , aut qualis sit illa vnio forsan Physica,
vel moralis , vel enim fit illa per aliquam
actionem quam explicare nequeunt , quod
idem dicendum est de contactu virtuali , &
vlerius illa vnio superaddita , vel est mate-
rialis , vel spiritualis , si materialis id quod
superius dictum est iterum replicandum est ,
si spiritualis , ergò phantasma , seu ejus spe-
cies impressa materialis nihil facit , licet di-
ci possit , quod intellectus tanquam forma
cū recipiantur species intellectuales in eo
vniuntur ei per vniōrem spiritualem , sicut
species sensuum internorum cum mate-
riales sint , & recipiantur in materia vniā-
tur per vniōrem materiale , tanquam per
modum superadditum .

Sciendum verò est potentias internas
producere species actuum potentiarum ex-
ternarum , & eorum objectorum , vt visio-
nis & illius objecti , actus doloris & objecti ,
pro vt experientia docet , demum elicitis
actibus verbi gratia phantasiationis & ima-
ginationis ipsa potentia sensus interni pro-
ducit speciem sui actus , sicuti etiam spe-
ciem

ciem actuum intellectualium & volitio-
num quos elicimus independenter à mini-
sterio sensuum externorum , vt actuum,
quorum postea recordamur & abjectorum.
Quare apparet ratio cur posita sensatione
externa exempli gratia visione , non statim
intellectus agens producat speciem illius ,
abique eo quòd phantasia priùs speciem &
actum producat , hæc enim est natura intel-
lectus agentis , vt cum subordinatione po-
tentiae agat & producat species juxta supe-
rius declarata , quod ipsa experientia magi-
stra didicimus , & cum species producantur
à potentiis seu ab anima dubium est an con-
serventur , & difficultatis ratio est , quia si
conservantur ab anima cum species im-
pressas admittamus , omnes species sicuti
ab illa producuntur cum possit plures & plu-
res producere in infinitum ; imò perfectio-
res & perfectiores , & aliundè non minor
virtus requiratur ad conservationem , quàm
ad primam productionem ; si enim plures
& plures in infinitum potest conservare , ar-
guetur in anima virtus infinita .

Existimant aliqui produci quidem ab
anima , conservari tamen à Deo non ab ani-
ma , vt effugiant difficultatem supra pro-
positam , ne cogantur nempè animæ con-
cedere virtutem infinitam : Deus enim in-
quiunt tanquam author naturæ supplet
concursum causæ secundæ , & vterius aße-
runt

runt ab actibus produci species; cum ab actibus, utpote non permanentibus non conserventur, sed ab ipso Deo, & hoc modo existimant, quod anima in genere causæ efficientis non sit infinita, sed adhuc restat difficultas, cum species non creentur, quomodo in genere causæ sustentantis & materialis non sit infinita, cum juxta illos educantur è potentia materiæ, nam eo modo anima esset virtutis infinitæ in certo genere causæ efficientis respectu specierum in infinitum, quo infinita esset in genere causæ Sustentantis, quia in hoc genere possit plures & plures in infinitum sustentare.

Dico ergò, quod licet dicatur quod anima conservet plures, & plures species in infinitum, aut etiam sustentet, non tamen bene dici esse virtutis infinitæ simpliciter etiam in certo genere, quia adhuc, ut aliquid dicatur virtutis infinitæ etiam in certo genere, non debet in eo genere dari posse perfectior virtus, sive efficiens sive sustentans, sed potest dari in hoc genere; ergò his non obstantibus anima non erit virtutis infinitæ, propterea enim aliquid dicitur esse virtutis infinitæ, & perfectionis, quia nihil potest dari in eo genere excellentius, ratio autem est, quia perfectio desumitur à termino extrinseco, quare licet possit virtus plura & plura in infinitum in certo aliquo genere, quia in eo genere potest dari perfectio-

Etior virtus adhuc in infinitum , eo ipso non est infinita illa prior , sicuti nec homo est infinitæ virtutis licet sub se comprehendat infinitas species imperfectiores , quare non aritmetice , sed geometricè in perfectionem procedunt.

Quintum munus statuitur esse intellectus agentis concurrere ad intelligendum , & hoc fictitium est , dato enim , quod omnia supra dicta munia spectent ad agentem , quid spectabit ad patientem ? Verum exortitur difficultas ex ipso Philosopho , quia agentem appellat incorruptibilem separatum , immixtum , impassibilem ; Passibilem verò corruptibilem , ex quo videtur sequi , quod si non distinguerentur hi duo intellectus , sed unicus esset , quod idem esset corruptibilis & incorruptibilis .

Verum illa authoritas nihil obest nostræ conclusioni , ea enim in sensu sano interpretanda est , nam Aristoteles quandoque loquutus fuit de intellectu quatenus talis est , & habito respectu ad propriam illius substantiam , ut loquutus videtur dum pertractavit per totum caput de intellectu agente , & hunc respectu ejus entitatis dixit incorruptibilem cum cæteris prædicatis supra enumeratis , aliquando verò tractavit de ipso tanquam in habitu , & tunc dixit intellectum passivum esse corruptibilem , quod verissimum est , quia habitus per actus contrarios

trarios deperditur & corruptitur, recte
igitur effatus est esse corruptibilem, non
quidem in essendo, sed in operando per ha-
bitum corruptibilem.

10. Cap. Primo modo videtur loquutus fuisse
in Ethicis dum loqueretur de felicitate ho-
minis: *ait enim quatenus homo est, ita vi-
vet, sed quatenus divinum quid in ipso est,
& subdit, si vita qua ex intellectu traducitur,
si humana comparetur, divina ipsa etiam est,*
nomine enim D E I s̄apie Aristoteles ap-
pellavit intellectum humanum, quatenus
in corpore degens habet operationem sibi
propriam, in qua obeunda non vtitur mi-
nisterio corporis, nimirum intellectione:
11. Cap. sic pariter de partibus animalium: *solus e-
nim animalium omnium erectus est homo,*
*quoniam ejus natura atq; substantia divina
est, officium autem divini ost intelligere, &
sapere.*

3. Tex. Quod verò etiam intellectum passi-
vum condecoreret titulo impossibilis & in-
corruptibilis, videatur quid de anima scri-
5. Tex. pserit; hinc in Physicis ait, corruptionem
esse ad nō ens: dicendum ergò est Aristotelē
voluisse intellectum passivum esse corru-
ptibilem respectu habitus, cum nimirum
conjunctus est ex substantia propria, & ex
cognitionum habitibus, corruptio enim
cuisque sive substantiae, sive accidenti pas-
7. Tex. sio est ex illius decreto de generat: intelle-
ctus

tus enim in habitu fit , & corruptitur ;
 corruptibilis autem non quo ad substantiam , sed solum quo ad habitus aquisitas ,
 est etenim aggregatum per accidens quod corruptitur , manente illa substantia
 mentis ; corruptitur ergo forma rationis
 accidentalis , perinde ac natus corruptitur
 destructione solius formae accidentalis ab
 arte factae , remanente substantia ligni : vñ-^{1. Phy-}
 dē non immerito Philosophus hunc intel-^{fic. Tex.}
 lectum passivum corruptibilem nuncupat^{43. &}
 de anima , quia cum sit compositum quod-^{3. Tex.}
 dam ex intellectu essentia , & rationis ha-^{8.}
 bitu aquisito , jam aliquando factus est , &
 prout ortui , ita interitui abnoxius est hic
 intellectus , quod verò ita interpretanda sit
 mens Philosophica de intellectu in habitu ,
 non verò de essentia intellectus pervolvan-^{2. Tex.}
 tur libri de anima , vbi manifeste reperie-^{24.}
 mus ad stateram rationis hanc explicatio-^{3. Tex.}
 nem inibi reperiri , nam ulterius in Proble-^{33.}
 matibus , docet reminiscentiam esse obli-^{4. Sect.}
 vionem ignorantiae , oblivionem autem esse
 corruptionem scientiae : & in libris de Cælo
 dum loqueretur de materia prima , eam in-^{1. Tex.}
 quirit corrumpti atque fieri , quatenus est id ,
 in quo est privatio ; quandoquidem priva-
 tio secundum se corruptitur , & composi-
 tum ex materia & privatione pariter inter-
 rit de longitudine & brevitate vitæ : quis
 verò tam ignarus est , qui nesciat materiam^{Cap. 2.}
 pri-

primam quatenus est quid à privatione distinctum, atque secundum suam essentiam & substantiam, quæ in potentia sita est non corrupti, sic etiam dicere possumus de anima rationali quatenus forma est, si dissolvatur compositum corrupti dicendum est, nam forma amplius non est, ergo in hoc sensu anima rationalis corruptibilis est, ita etiam dicendum ex Aristotele de intellectu passivo, prout est id in quo est habitus scientiæ corruptibilis est, ex habituali enim fit non habitualis, ex sciente non sciens, & certè saepius docuit Aristoteles intellectum

- 1. Tex.* humanum proportionem habere ad materiam primam in Physicis, statuit enim nullam esse naturam aliam intellectus, nisi
59. *3. Tex.* quod passibilis sit, & denique intellectum
5. O. *Tex. 18.* humanum tanquam habitualem esse corruptibilem de anima in eodem libro, cuius verba ponderanda sunt, quæ sunt sequentia: *Et est quidam talis intellectus qui omnia fit, quidam vero qui omnia facit, ut habitus quidam, quale est lumen quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores acti colores*, per lumen enim declarat naturam intellectus agentis, & per habitum naturam passibilis, & alibi de anima: intellectus autem fortassis divinus quid & impassibile est loquens in comparatione ad sensus, & diversis in locis quandoque appellat formam formarum, aliquando locum formarum, quasi

quasi comparasset materiæ primæ , quæ ut
est susceptiva formarum , ita & intellectus
humanus omnium specierū intelligibilium.

Prætermissa verò sententia quorundam antiquorum afferentium intellectum possibilem esse potentiam corpoream mixtam ex omni corpore sensibili , ad hoc ut omnia corpora sensibilia possit percipere , quia omnis potentia sensitiva patitur à suo objecto aliquid ab illo recipiendo , sed hoc argumentum satis superiùs dilutum est.

Infertur ergo intellectum humanum non esse puram potentiam in genere intelligibilium , siquidem habet in se actum entitativum , esse verò puram potentiam in genere solummodo intelligibilium , declaravit Philosophus de anima dum eum comparavit tabulæ rasæ , in qua nihil scriptum extitit , & ratio est , quia ut aliquid dicatur proximè intelligibile non satis est , quod habeat entitatem intelligibilem , sed debet habere speciem sui in intellectu , per illam enim res est proximè intelligibilis , appareat enim , quod intellectus nullam habet speciem intelligibilem illi à natura inditam , sed tales species accipit à phantasmate determinative , ex quo sequitur , quod sit pura potentia ad omnia intelligibia , sicut materia prima est subjectum habens potentiam ad omnes formas nullam illorum includendo .

Concludendum ergò est dari intellectum agentem, dari possibilem sineulla diversitate, & distinctione, eundemque esse & agentem, & patientem, sub diversa formalitate consideratum dici posse diversum non realiter, & passibili omnia munia assignata agenti quam optimè competere.

LUCUBRATIO XVI.

An anima seu intellectus in hoc statu absque phantasmatibus possit intelligere?

AN necesse sit intelligentem semper phantasmata speculari, & quod idem est, utrum necesse sit in praesentis vita statu operante intellectu circa aliquod objectum, ut simul etiam operetur phantasia circa illud, vel circa saltem aliquid simile, vel aliquo modo proportionatum: vel utrum intellectus absque species representatis à phantasia possit aliquid agere, & speculari.

Multi existimarent intellectum non habere in sua operatione necessariam coniunctionem cum phantasiæ operatione, vel ulterius sensus, sed sine illis intelligere nempe substantias separatas, vel etiam alia dum operatur per species non mediante phantasmate ab intellectu agente acceptas, sed per suos proprios actus productos, vel dum ver.

versatur in altissima contemplatione, vel denique quasvis res dum summum adhibet conatum, vel certè aliqua, vt vniuersalia; videntur verò pluribus rationibus comprobare: dicunt enim sensus internus potest operari circa aliquod objectum oceantibus omnibus sensibus externis, ergò & intellectus poterit operari otiante sensu externo, antecedens constat experientia quid fiat in somno; consequentiam verò probant, quia non est major dependentia à phantasia quàm sensus interni ab externis.

Imò dicunt, quòd anima separata intelligat per species aquisitas in corpore sine vlla dependentia, ac cooperatione phantasie, ergò concludunt per easdem intelligit sine vlla dependentia dum est in corpore, imò volunt, quòd postquam intellectus habet speciem, in se existentem habeat omnia necessaria ad operandum, ergò potest operari etiam otiante phantasie, sed quòd magis est intellectus cognoscit incorporea, vt Deum, & intelligentias, & summa genera, quæ intellectio non cadit sub phantasiam, quia neque sub sensum externum, ergò intellectus cognoscit illa sine cooperatione phantasie.

Conimbricenses verò existimant se hanc veritatem deducere ex Extasi in qua sibi intelluntur omnes sensus, tam interni, quam etiam externi, anima in contemplationem

ellevata sine omni sensu operatur, & harum Extasum, vt ipsi inquiunt non meminere solummodò SS. Patres vt D. Augustinus in libris de Civitate Dei, sed & Trismegistus, quare non est verisimile omnes fuisse supernaturales.

Alij è contra opinati sunt intellectum nostrum in hoc statu nullam prorsus posse habere operationem naturaliter, absque eo quod phantasia circa idem objectum, aut aliquid aliud simile proportionatum simul cooperetur quantumvis spiritualia & abstractissima intelligamus, hanc sententiam acriter defendit D. Thomas, & plurimi ejus aequali, sed quia intendimus demonstrare immortalitatem animæ ex placitis Aristotelis, plurimum conferet ad nostrum propositum, si ostenderimus eum non negasse posse intellectum elicere intellecti operationem independenter à phantasmate, ideo concorrentes cum priori sententia dicimus absolutè dari operationem propriam animæ nullo modo dependentem à corpore, quod si probaverimus argumentum pro nostra intentione efficacissimum erit.

2. Tex. **12.** Videtur ergò Aristoteles in Physicis asserere formam non esse separabilem à materia nisi per intellectum, cum ergò anima rationalis sit forma, non potest independenter operari à corpore, explicatur ergò textus, dicimus & nos formam, vt formam non

non esse separabilem à materia nisi per intellectum , quia eo ipso , quòd separata esset non ampliùs forma esset , ex quo nihil concluditur contra expositam assertionem , imò sub conceptu reduplicativo ipsam animam rationalem corruptibilem pronunciamus , nam destructo composito non remanet ampliùs forma , licet possit existere separata , quia in statu separationis non ampliùs forma vocabitur , nec pars compositi , & quòd talis sit Philosophi mens ex eo deprehenditur , quia in libris Physicis agit de corpore naturali quod redolet compositum , & ipsa illius verba sonant dum dicit formam non esse separabilem à materia , ecce quomodo denotat compositum , & alibi pereunte subjecto perit forma .

Potest aliter etiam responderi , quia in libris de anima quærit an independenter à sensibus detur aliqua operatio propria animæ , nec non , si datur , anima ergò infert est separabilis , si non datur , est inseparabilis , sed inferiùs videbimus dari secundùm ipsum talem operationem , ad rem ergò , ante scripsit libros Physicos quām conscripsisset libros de anima , in primo ergò supra citato dubitativè traddidit textum , sed in tertio libro resolutivè vt videbimus , dixit dari operationem propriam , ergò animam esse separabilem , non quidem vt formam , sed vt substantiam talem ; quæ nihil habet.

cum materia nisi illam actuandi dum ei vnitur.

Nec quidquam facit contra allatam
 2. Tex. sententiam textus ille Aristotelicus , de ani-
 26. ma vbi dicit , bene opinari qui dicunt ani-
 mam neque sine corpore esse , neque cor-
 pus aliquod , expiscanda enim est mens Phi-
 losophi non superficialiter , sed in meditulio
 & arcano ejus scientiae : nam eo secundo li-
 bro primo definivit animam tanquam for-
 matam corporis , recte dixit non esse sine cor-
 pore , cum enim sit pars compositi neuti-
 quam esse potest sine materia sub ratione
 compositi , & rectissime pariter dicit non
 esse aliquod corpus , quia si corpus esset con-
 staret materia & forma , ergo alia esset for-
 ma hujus formae , & illius alia , & sic daretur
 circulus in infinitum .

Sed aliqui opinati sunt Philosophum
 accepisse hic intellectum passivum pro-
 phantasia , ideoque dixisse esse corruptibilem ; etenim cum potentiae non distinguan-
 tur ab anima , frustra id asseritur , & abunde
 in lucubratione antecedenti ostendimus es-
 sentiam , & entitatem intellectus ex ipso
 met esse incorruptibilem : etenim si intel-
 lectus passivus est phantasia , ergo non po-
 terit sine phantasia intelligere , ergo non est
 separabilis , sed contrarium videtur ex ipsi-
 usmet verbis de anima , & certe si ideo ani-
 ma nullam habere potest propriam opera-
 tio-

3. Tex.
 20.

1. Tex.
 12.

tionem independenter à materia , quia ab ea separabilis non est, interpretetur quisquis velit verba Philosophi dicentis de generat: ^{2.} Tex.
 materiam esse medium insensibile & inse- ^{34.}
 parabile , & tamen materia , vt per se exi-
 stens , & à formis omnibus sejuncta est, quo
 pacto sine dubio est inseparabilis ratione fi-
 nis , non verò propriæ entitatis , est ergò
 materia de quidditate rerum & separabilis ,
 cur id negabimus formæ , & quidem om-
 nium formarum præstantissimæ , animæ
 nempe rationali ? & si ratio separabilitatis
 potissimum eruitur ex operatione , ea ergò
 quæ nullam habent operationem separari
 non poterunt , & quæ habent ex textu cita-
 to poterunt ; quis autem negabit animæ ra-
 tionali operationem ? animæ enim propriū
 est movere & agere , materia verò omnis o-
 perationis expers est , ergò anima , vt forma
 erit magis separabilis , sed si intellectus pas-
 sivus est idem cum phantasia , certè anima
 separata nihil intelliget , nec reminiscetur,
 in eo enim statu phantasia , vt notum est ,
 procul est ab ea , nec ullomodo ei attribui
 potest. Non est ergò dubitandum animam
 habere propriam aliquam operationem ,
 cum etiam Philosophus id asserat de anima ^{1.} Tex.
 postquam recensuisset passiones quasdam ^{12.}
 quæ accidunt cum corpore , intelligere ait
 esse proprium animæ.

Verùm quidem est , quod Philosophus ^{3.} Tex.
^{31.} O 4 in 39.

Cap. 2. in libris de anima videatur asserere animam non intelligere sine phantasmate , & magis clarè dum inquit : & ab hoc qui non sentit a liquid , nihil utiq^z addiscet , nec intelliget , & cum speculatur necesse est simul phantasmata speculari , & libr. de memor: & reminiscencia : intelligere non est sine phantasmate , accedit enim eadem passio intelligendo , qua quidem , & inscribendo ; ibi enim nulla utens quantitate trianguli determinata , tamen finitum secundum quantitatem describimus , & intelligens similiter etsi non intelligit quantum , ponit autem ante oculos quantum : hæ sunt dictiones Philosophi , quibus adverarij nituntur probare phantasiam necessariò concurrere ad intelle^ctionem , & sine ipsa dari non posse .

Dicimus igitur originaliter phantasmata esse necessaria ad intelle^ctionem , quia omnis cognitio nostra originem dicit ex sensibus , qui sunt janua , vt objecta per species animæ cogitanti repræsententur , & in hoc sensu verum est intelligentem opportere phantasmata speculari , idest omnis animæ speculatio originem dicit à phantasmib^s , quod verò anima non possit intelligere sine phantasmatum quidditate falsum est , eo modo , quo dicimus hominem non posse esse sine corpore , vel sine anima , neque verum est , quòd anima quandocun^{que} intelligit dependenter à phantasia intelli-

telligat, siquidem intellectio ex phantasmatis initium sumens , derelictis illis in suo esse manere potest , nec tamen per hoc negamus , quod à phantasmatisbus non recipiat aliquid auxilij in intelligendo , sed hoc non est dependere simpliciter & absolutè , quasi sine illis nullam exercere possit operationem. Ex quo

Infertur , quod coadjuvatio alicujus ad aliquid operationem præcipui agentis , nec aufert , nec labefactat , in hoc proposito eruditissimus vir quidam dicit , quod ministerialiter quandoque concurrant phantasmata ad intellectus operationem , intellecti autem sit ipsius intellectus munus proprium.

Dicendum ergò est , Philosophum locutum fuisse in libris de anima , & in locis ^{3. Tex.} _{30.} supra citatis referendo quasi ad præcedentem sermonem , cùm fuisset enim loquutus de intellectu practico directo ad bonum prosequendum , & malum fugiendum , inquit enim : *cogitativa autem anima , phantasmata ut sensibilia sunt , cùm autem bonum aut malum affirmaverit aut negaverit , tunc fugit , aut persequitur , quapropter nunquam sine phantasmate intelligit anima , bona vero aut mala non possunt esse nisi sensibilia , vel cum sensibus juncta , ideo circa hæc nunquam sine phantasmate intelligit anima , non licet ergò inferre ; ergò simpliciter & absolutè si-*

ne phantasmate non intelligit anima , nam quid aliud Aristotelica verba sonant quam juxta interpretationem supra allatam , & præcipue illa particula : *ideo circa hæc nunc quam sine phantasmate intelligit.*

Quo verò ad memoriam & reminiscientiam allegatam , Philosophus ibidem fuit loquutus in naturalibus , & in ijs , quæ ad memoriam sensitivam spectant , quæ circa sensibilia versatur , dependentia enim intellectus cum phantasmatisbus necessaria est ad melius & facilius esse non verò absolutè & simpliciter .

Et sanè si intellectus nihil sine phantasmate intelligeret , necessè foret omne intelligibile à nobis , esse phantasiabile , & sic intellectus nihil posset intelligere nisi ens corporeum , & sic frustranea esset Metaphysica , quia intellectus non posset intelligendo tendere in D E U M & Angelos , imò nec in se ipsum , ac entia abstracta : & si dixeris omne objectum nostri intellectus debere esse ens quidditativum , propterea quæ materiale , quia proprium & proportionatum objectum intellectus conjuncti , est quidditas materialis , verùm hoc nihil aliud est , quām petere principium , & id de quo queritur pro objectione adferre ; querere enim vtrum possit operari & intelligere sine admicculo phantasmatum , quæ materialia sunt , & dicere objectum intellectus esse ens

materiale, non est resolvere quæstionem; sed eam diverso nomine ad idem quæsitum redigere.

Et ut verum fateor, esset aliqua dubitandi occasio, an præcisissimis phantasmatisbus intellectus possit operari, si intellectus agens realiter distingueretur à passibili, quoniam qui tenent, quod dum anima vult a liquid abstractum intelligere efformat, quasi sibi objectum materiale aliquod, à quo cum imprimantur species intelligibiles defæcando priores eas reddit immateriales, & hoc ipsum dicunt fieri non posse absque ministerio phantasmatum, & hoc manifestissimum esse.

Veruntamen ego concedo dari species impressas, habitusque intellectuales, eosque constitui non per solos terminos, intellectum nempe, & actus frequentatos, sed aliquid aliud superadditum nempe modum: explico, dantur habitus intellectuales facilitantes animam ad operandum, & hi consistunt in speciebus impræssis, & confirmatis in ipsa anima; siquidem sunt actiones immanentes, quæro, quid obstat quin anima absque ullo alio phantasmate elicere possit operationem spiritualem mediantibus illis habitibus absqueulla connexione cum phantasia? si enim intelligeret aliquid novi, quod id fieri deberet mediantibus phantasmatisbus transeat, sed quod in hoc casu

casu pariter id fieri debeat negatur , nam illæ species productæ confirmatæ & receptæ in anima jam sunt spirituales , & cùm sint vicariæ sunt , etiam repræsentantes objec-ti , & ad hoc , vt eas ipsas animæ denuò in-telligat , aut circa eas exerceatur , non vi-deo quare connexionem cum phantasia re-quirant , aliàs essent & spirituales & mate-riales , quia haberent dependentiam à phan-tasia , sed quod magis miror est , quia adver-sarij ipsimet concedunt dari operationem propriam animæ rationalis separatam , & distinctam omnimodè ab aliis operationi-bus communibus , & competentibus omni animæ vt sic , hancque appellant intellec-tionem , & cur intellectus non possit eam ipsam intellectionem jam habituatam in a-nima , iterum intelligere reflectendo se abs-que ministerio phantasiæ , nulla est ratio , quæ in contrarium suadeat , aliàs facultas intellectus adeò limitata effet , vt verum foret dicere eam intercludi inter limites materiales ipsius phantasiæ , & cum supe-riùs dictum sit spirituale quodpiam vocari , quod neutiquam per se habet dependen-tiam à materia & quantitate , ideo nullo modo dici potest animam dependere à phantasmatisbus in operando , nullam enim absolutam realemque dependentiam habet ab illis .

Et quod postquam intellectus jam ha-bet

bet species impressas & confirmatas possit
 independenter à phantasia operari, videa-
 tur Aristoteles de anima , cuius expressa ^{3. Tex.}
 sunt verba sequentia: *cum autem sic singula*
factus est, ut sciens dicitur, qui secundum a-
ctum; hoc autem tunc accidit, cum potest ope-
rari per se ipsum, est quidem, & tunc potentia
quoda modo, non tamen similiter, ut erat an-
tequam addisceret & inveniret, & ipse autem
se ipsum tunc potest intelligere: quid enim cla-
tius aut dici aut excogitari potuit, dum e-
nim inquit singula factus est, ut sciens dici-
tur, qui secundum actum, id est dum jam
habet species inpræssas, & factus est habi-
tualis, hoc autem accidit intelligendo ha-
bitum, cum potest operari per se ipsum, a-
deo lucidus, & clarus videtur iste textus,
ut prorsus nulla indigeat explicatione, nam
postquam intellectus intellexit singularia,
ideo mediantibus phantasmatibus potest
operari per se ipsum, ergo tunc non indi-
get ministerio phantasie, illatio clarissima
est, & alibi quærit, utrum intelligat aliquid ^{Tex. 26.}
separatorum existens intellectus non sepa-
ratus; quando ergo dicit intellectum non
intelligere sine phantasmata, non intelle-
xisse hoc absolute, sed de intelligere, ut est
forma corporis Physici, nam in toto 3. libro
non consideravit animam intellectivam,
nisi propter actuat corpus, & ideo dicit intel-
ligentem opportet phantasmata speculari,
non

non enim considerat puram essentiam ani-
mæ , sed animam tanquam formam , & v-
nitam corpori , & eodem libro dicit , quòd
3. Tex.
20. reminiscimur post mortem , quia loquutus
est pro præsenti statu , & pro conclusione
dictorum .

Dico nullam inferri maculam bonæ
Philosophiæ si dixerimus intellectum in ha-
3. Tex.
8. bitu absque ullo phantasie interventu
operari , nempè intelligendo , & noscendo
ea , quæ antea cognoverat , ita pariter trad-
dit Aristoteles de anima , sufficiatque dice-
re phantasiam attingere solummodo parti-
cularia , intellectum verò univeralia , &
quod magis est , docent aliqui intellectum
nostrum intelligere per speciem spiritua-
lem , atque adeò abstractam à materia , nam
singularia materialia sunt , & dum se expli-
cant dicunt intellectum non abstrahere à
conditionibus singularibus , sed à materia-
litate , ita ut intellectus agens ex phanta-
mate materiali deducat aliam speciem spi-
ritualem , directè tamen repræsentativam
rei singularis materialis , posito ergò , quòd
illa species spiritualis sit habituata in anima ,
quare non poterit intellectus ipsam cogno-
scere absque phantasia , cùm jam sit abstra-
cta à materialitate ? non poterit sanè am-
plius abstrahi ab hac , cùm jam sit repræ-
sentativa objecti , non certè materialis , sed
sui ipsius , vnde etiam intellectus postquam
dici

dici reflectendo venit in cognitionem sui ipsius, quod nempè sit substantia creata, spiritualis nullam habens cum quantitate dependentiam, & propterea indivisibilis, & hæc intellectio supposito, quod jam recepta sit in ipsa anima, & confirmata per habitum, dato etiam, quod in prima sui ipsius cognitione factum fuerit dependenter à phantasia, & quod etiam spirituale concipiatur per modum materialis, potest tamen postea se reflectendo ac cognoscendo se ipsum intellectus id efficere se posito omni phantasmate, repugnantia, quam adstruunt adversarij non est apparens, nec in quo consistat perceptibile est, & si ad Philosophi autoritatem confugerint, jam sat illa explicata ac glosata est.

Manifestum igitur est animam rationalem habere operationem ita propriam, ut nullo modo ea dependeat ab ullo objecto materiali, nisi fortè remoto, nam certum est in prima apprehensione factum fuisse ope phantasiæ, sed dum species jam est habituata reflectendo supra ipsam nullum intercedit objectum materiali nisi remotum, ut dictum est, quia ista reflexio habitualis procedit quidem originaliter à prima, sed remotè; si igitur Aristotelis locus bene perpendatur, manifestè deprehendemus, ibi non absolutè dixisse intelligentem opportere phantasmata speculari, sed dun-

taxat dum anima cogitativa operatur comparando ad sensibilia, vel saltem remotè; & sanè quod de sensibilibus loquutus sit,
Tex. 39. videatur alias textus ejusdem libri ubi dicit: *cum speculatur, necesse est simul phantasma aliquod speculari, phantasmatum autem velut sensibilia sunt, propterea quod sunt sine materia, ex cujus verbis liquido constat* loqui hic de rebus naturalibus & sensibilibus, quæ etiam intelligibles sunt per sensus primò & conjunctim cognosci debent, quare sistendo in sensibilibus per ipsam intellec-
tionem semper fieri per phantasmatum di-
cendum est.

3. Tex. Concludendum igitur est cum ipso Aristotele de anima afferente: *omnino ergo, ut separabiles sunt res à materia sic & quæ circa intellectum*, igitur intellectus ipse cognoscit res à materia, & phantasmatibus separatas, prout patet in Metaphysica, quæ versatur circa ea, quæ secundùm esse, & secundùm definitionem sunt à materia & à motu prorsus abstracta, ita Aristoteles jam citatus in Metaph: est scientia quæ specula-
4. Tex. tur ens prout est ens, & quæ ei perse insunt, verum phantasiabilia, seu per phantasiam apprehensa, neque à motu, neque à mate-
i. ria, neque à sensibili abstrahunt singulari-
tate, concludendum est ab his Metaphysi-
cis contemplationibus exclusam esse phan-
tasiam.

Hæc

Hæc est etiam mens Philosophi in Phy-
sics, vbi ait entia quam plurima esse abstra-^{2. Tex.}
cta per intellectum à motu, & nihil referre,
neque fieri mendacium abstractentium ; &
iterum alio loco Physicorum : *imaginatio*^{8. Tex.}
autem, & opinio motus quidam esse videntur,^{2. Tex.}
& de anima : imaginatio utique erit motus^{161.}
à sensu secundum actum factò, ergò sine
falsitate dici potest ex Philosopho, quod ab
omni motu intellectus possit abstractere, ab
hoc quoque, qui in phantasia, vel imagi-
natione continetur, abstractet, & sic sine
phantasia, vel facultate imaginativa intel-
liget, propriamque habebit operationem.
Retorquent verò non nulli, & dicunt ab-
stractere quidem intellectum à motu per co-
gnitionem, in operando verò, & in abstra-
ctione necessarium esse motum phantasie,
respondet verò argutissimus quidam Phi-
losophus, investigari hic solummodo non
quatenus actio intellectus propria dirigitur
ad objectum cognoscibile, hæc autem est
sola cognitionis sine phantasiate; licet enim
operatur existens in corpore, & cum aliis
potentiis junctus nemo dubitat, & subdit;
Intellectus facit comparisonem ac distin-
ctionem plenam inter ea, quæ sunt phanta-
siabilia, vel sensibilia ab iis, quæ sunt intel-
ligibilia tantum, ergò hæc distinctio debet
terminari ad res omninoque distinctas, ita
ut quo ad hoc in nullo convenienter, aliter

essent distincta indistincta , seu distinctè & indistinctè cognita: cùm igitur ad phantasiabilia terminetur per phantasmata , ad intelligibilia sine phantasmatibus terminabitur ; præterquam quòd phantasmata non repræsentant nisi singularia , sequitur , quòd per ipsa non possint repræsentari vniuersalia , intellectus enim vniuersalia intelligit ex Physicis. Undè rectè Philosophus determinans hanc materiam de anima : *intelligimus quando volumus , sentimus autem non quando volumus : illatio clara est ; si intellectio dependeret ab imaginatione , propterea dependet posterius origine à suo priori , simul juncti essent effectus , vel intelligendo effectus eos qui simul phantasie , vel secundum totum , vel secundum partem includerent , hoc autem falsum esse experientia patet.*

z. Tex. Sed ulterius scribens Philosophus de anima , respiciendo ad operationes respectu organorum , ait *ipsum intelligere & ipsum speculari marcescit , alio quodam interius corrupto , ipsum autem impassibile est , & quod dicat marcescere respectu organorum in eodem textu , non est quia sustinuit aliquid anima , sed id , in quo , sicut in ebrietatibus & morbis , & iterum alibi de anima comparsis intellectum ad potentiam sensitivam , sensum inquit ladi ex vehementi sensibili , intellectum vero ex magnis intelligibilibus corroborab-*

robورari, & demum de generatione anima-
 lium ait actionem intellectus non commu-
 nicare cum actione corporis, quod certè
 non sonat aliud, quām quòd intellectus ha-
 beat proprias operationes, & independen-
 ter à phantasmatibus intelligat, & cum To-In 3.
 leto de anima dicamus, quod licet Aristoteles in 3. de anima tex. 36. nihil determi-
 natè dixerit, tamen in 2. Metaph: determi-
 net, vbi comparat intellectum humanum
 respectu abstractorum intelligendorum, o-
 culo noctuæ ad solem, sed noctua non pri-
 vatur omnino visione solis & luminis, sic
 & in 9. Metaphy. vltimo vbi dicit intellectum
 nostrum esse & potentia ad intelligenda
 immaterialia, & non in potentia cæcita-
 tis, expressè docuit intellectum humanum
 posse cognoscere seu attingere etiam in sta-
 tu coniuncto res abiectas à materia : imò Concl. 7.
 Ut Toletus in supra dicta quæst: per phan-
 tasmatata nullo modo possumus venire in co-
 gnitionem distinctam substantiæ immate-
 rialis, quia cum phantasmatata sunt materia-
 lia & intelleciones sint spirituales, sequere-
 tur aliquo modo quod aliquid materiale da-
 ret esse spirituali, cum tamen nihil possit
 dare id quod non habet, præter causam fi-
 nalem, & hæc satis dicta sint in hoc propo-
 sito, sufficienterque convalidata testimoniis Philosophorum Philo-
 sophi.

LUCUBRATIO XVII.

Quid sit objectum intellectus?

Si quidem per totam lucubrationem antecedentem tractatum est de natura, essentia, operationibusque intellectus ostensumque est, eum absolute non indigere phantasmatibus ad operandum etiam in hoc statu, nisi coadiuvantes, & ad melius facilius esse, restat modo inquirendum, quale sit ejus objectum.

Cap. xii. Zaborella de mente humana putat objectum primum & adæquatum intellectus non esse materiale, quatenus materiale, nec potestate intelligibile, quatenus potestate intelligibile, sed quoddam nomine carens, nempè omne ens, quatenus est ens, uno excepto ipso intellectu; quidquid enim inquit est praeter ipsum contineri sub objecto ejus primo, ipsum verò intellectum sibi esse objectum secundarium, neque ex eo inferri, quia intellectus sit potestate intelligibilis, ipsum esse sibi objectum primum, quia objectum ejus primum non est omne potestate intelligibile.

3. quest. Javellus de anima, de objecto primo intellectus passibilis, ait, non esse querendum simpliciter, quodnam sit objectum intellectus, sed intellectus conjuncti, & de hoc præsenti statu, dividitque illud in objectum

etum adæquationis, temporis resolutionis,
& perfectionis, sed quia hoc nil aliud est
quam adimplere paginas, prætermissa longa
verborum seriè, quâ ipse procedit, & di-
cit objectū primum adæquationis, seu ob-
jectum adæquatū esse ens ut ens univer-
salissimo modo sumptum, prout in se com-
prehendit omnes modos entis, & hoc dicit
esse objectum adæquationis, temporis &
resolutionis, non verò perfectionis, & vi-
detur probare, quia unumquodque intelli-
gibile est, in quantum est ens ex mente Phi-
losophi ex Physicis, quia quod non est, non
contingit scire, idest quod nullo modo est
ens, nec re, nec ratione non potest intelli-
gi, & idem videtur Aristoteles velle in Me-
taphysicis, vbi annumerat privationes &
negationes inter entia, prout apprehendun-
tur ab intellectu, & ut sic intelliguntur.

Dico ergò objectum adæquatū &
attributionis intellectus est omne ens intel-
ligibile est Aristotelis de anima, vbi dicit in-
tellectum intelligendo omnia fieri, & ite-
rum concludens dicit intellectum esse for-
mam formarum, formam nempe respectu
corporis, formarum idest objectorum reci-
piendorum comprobatur ex Aristotele de
anima, vbi docet, objectum visus esse vi-
sibile, & intellectus intelligibile, ob pro-
portionem quæ est inter sensum & intelle-
ctum, sed discrepantia inter illos est, ut o-

I.

4.

^{3.} Tex.^{6.8.18.}^{Tex. 37.}^{38.}² Tex.^{66.}

3. quest. ptimè notat Toletus de anima , vbi dicit
 20. cap. quod sensus non percipiat suam conditio-
 7. nem , visus enim videt colorem , at non vi-
 sibilitatem & singularitatem , intellectus
 verò quod sit tam amplæ cognitionis , vt se
 convertat , & reflecat ad conditiones intel-
 ligendas , & quod percipiat vniuersalitatem
 & singularitatem , intelligibilitatem , & ve-
 ritatem , ac alia omnia .

Ratio verò dictorum est , quia si ope-
 ratio propria intellectū est intellectio , se-
 quitur necessariò quod objectum debeat
 esse ens intelligibile , quia si difficultas in-
 telligendi procedit ex parte intellectū no-
 stri , non per hoc objecto demitur intelli-
 gibilitas , quæ debet tenere se ex parte obje-
 cti tanquam quid proprium ad hoc vt red-
 datur intelligibile ; etenim in cognitione
 substantiarum separatarum difficultas se te-
 net ex natura nostri intellectus , qui est infi-
 mus in genere substantiarum intelligibi-
 lium ; & vt continuatur nobiscum in intel-
 ligendo , dependet & licet non absolutè à
 sensu & phantasia , & hoc vt dictum est quo
 ad melius esse , non enim talis difficultas o-
 ritur ex parte objecti cogniti , siquidem ta-
 lia objecta sunt actu abstracta à materia , &
 à conditionibus materiæ , quare hæc ad hoc
 vt intelligantur , non indigent intellectus a-
 gentis opere , scilicet ad hoc vt extrahat , &
 transferat illa de ordine in ordinem , vt fa-
 ciat

ciat nempè de intellectis potentia actu intellecta, provt Philosophus clarissimè docet in Metaphysicis *forsan inquit, & difficul-*^{2. Tex.}
tate duobus modis existente, non in rebus, sed^{1.}
in nobis est ejus causa, vndè omne ens intel-
ligibile est objectum intellectus humani,
quòd verò quædam facilius, difficilior alia
intelligantur, hoc se non tenet ex parte in-
telligibilitatis ipsorum objectorum, sed ex
imbecillitate intellectus, & ulterius dum
 Philosophus nos erudire intendit, quomo-
 do aliquando obscurè intellectus attingat^{7. Tex.}
 objecta in Metaphysicis inquit: *qua autem*^{10.}
singulis nota, & prima multoties debiliter no-
ta, scilicet quo ad naturam, & parum aut ni-
bil entis habent, attamen ex malè quidem no-
noscibilibus, ipsi autem nescibilibus, qua omnino
noscibilia noscere tentandum; vndè in pro-
 emio Metaphysicorum, dicit vniuersalissi-
 ma difficultia esse cognitu, quia sunt à sensi-
 bus remotissima, & hinc aliqua entia, licet
 secundùm naturam, parum aut nihil enti-
 tatis & perfectionis habeant, quia tamen
 sunt sensibus proximiora, fiunt nobis ma-
 gis cognita, quam entia plurimum entitatis
 habentia, remotissimè autem diffita à no-
 stris sensibus; hinc loco supra citato Meta-
 physicorum, aut aliter inquit, quām in tali^{2. Tex.}
 quæstione intellectus humanus, non potest^{1.}
 dicere secundùm naturam rei, sed solum
 secundùm suam capacitatem, & de cælo,

2. Tex. *in quibusdam inquit rebus homo non potest enunciare secundum naturas rerum, sed ut est in natura hominis, vnde quæ hucusque dicta sunt, eo fine adducta, ut clarum evadat ens ut tale intelligibile objectum esse intellectus, & quia pariter dictum est difficulter intelligi universalia nisi mediantibus phantasmatibus attingantur particularia, non per hoc intelligendum est intellectum non posse absque phantasia absolute intelligere, quia haec solummodo coadiuvat ad facilius intelligendum; hinc Commentator de anima dicit, quod si essent universalia Platonica extra animam non opus esse ponere intellectum agentem.*

3. Com. *xi. 28.*

Est itaque ens intelligibile objectum adæquatum & attributionis intellectus, & quidem formale, quia de materiali nullum dubium est, quandoquidem cum intellectio sit actus vitalis, qui debet recipi in eodem principio à quo productus fuit, dubium nullum est, ipsam animam esse subjectum, sed de formalis difficultas est, quia quisque pro suo libitu diversificare videtur objectum: his itaq; præmissis

Dico ulterius objectum inadæquatum, & partiale esse quodlibet ens particulare cognoscibile, seu intelligibile, & ratiopatet ex superiùs dictis, cum pari ratione sit processus ab ente in genere ad ens in particulari, & id potissimum clarum evadit ex ob-

objectis cæterarum potentiarum, objectum
 enim potentiae visivæ est color, hocq; est
 objectum adæquatum, & pariter objectum
 inadæquatum est albedo, rubedo, viredo
 & sic de cæteris, ergò sicut se habet in po-
 tentia visiva, quod dicendum est etiam de
 aliis, & id ipsum de objectio intellectus, &
 cum species impressa sit vicaria objecti
 qualitas, quæ communiter dicitur similitu-
 do objecti, aliqui existimarunt hanc quali-
 tatem merito statui posse pro objecto intel-
 lectus, intelligendum est de speciebus im-
 pressis in anima, quia alias aliæ species sen-
 suum tam internorum, quam externorum
 cum materiales sint nullo modo imprimi
 possunt in anima, sed quidquid sit, suffi-
 cienter videtur declarari natura objecti in-
 tellectus per ens intelligibile, siquidem per
 hanc ultimam particulam excluditur quid-
 quid attingit aliquid materialitatis, siqui-
 dem cum factum est intelligibile, jam non
 potest alio modo intelligi, quām abstractum
 à materia, etiam concurrentibus phantas-
 matibus, quia phantasmata per intellectum
 depurantur ab omni labe materiae, neque
 dici potest intelligibile ut tale, nisi quate-
 nus non habet amplius dependentiam à
 materia in esse Physico, alias materiale re-
 ciperetur in spirituali contra declarata in
 anteriori lucubratione, vndè patet defacto
 nullam dari potentiam, quæ respiciat uni-

cum objectum formale, quod idem attingat per omnes suos actus, sed potest habere plura objecta formalia inadæquata, quorum unum attingat per hos actus, aliud per alios, sic videmus potentiam visivam habere plura objecta formalia inadæquata, album, nigrum, rubrum &c. objectum siquidem adæquatum visus completur per hæc omnia, ita etiam potentia intellectiva habet plura objecta formalia inadæquata, nempe actum ex tali motivo, alium ex alio, quod facilè comprobatur, quia alioquin omnes visiones essent ejusdem speciei, item omnes intellecções, quia neque diversificarentur ab objecto formalis, neque à potentia diversa, neque à modo tendendi: quare opere pretium est videre, quot modis, & qualiter actus specificentur.

Dico ergò absolute loquendo specificari ex diverso modo tendendi notabiliter, qui diversus modus tendendi diversimodè oriri potest, vel ratione principij, vel objecti formalis in ordine ad prudens judicium.

Quare alia insurgit difficultas, an nempe actus diversificantur specie, quando procedunt à diversis specie principiis circa idem objectum, vel an duo actus procedentes à diversis specie principiis ex modo tendendi notabiliter de facto differant, licet sit idem objectum formale utriusq; actus, ut visionis albedinis, equi, leonis, hoc quæ-

quæ situm non levem includit difficultatem, etenim manifestum est, à diversis specie principiis oriri posse aliquos ejusdem speciei actus, nam satis est, quod potentiae diversificantur ex tota collectione actuum, licet in aliquibus convenienter, & sanè valde difficile videtur dicere actionem quæ fit ab equo, & quæ fit à bove differre specie; ex altera tamen parte videntur, etiam visiones equi hominis, leonis differre specie, quia juxta prudens judicium videntur differre notabiliter, & cùm omnia objecta sint intra potentiam visivam leonis, quæ sunt intra potentiam visivam hominis, aut equi, secundùm nullum actum different hæ potentiae, & consequenter forent etiam ipsæ potentiae ejusdem speciei, sed cùm dicimus differre notabiliter, solvitur adamussim difficultas.

Vndè an actus specificentur ab objecto formalí adæquato, vel ab inadæquato, existimo dicendum quod ita, declaro, albedo, & nigredo sunt objecta attributa & particularia formalia, ratio est, quia color est objectum attributionis, siquidem nihil potest videri, cui non conveniat ratio coloris, aut lucis, hæc autem ratio non specificat actus diversimodè, quia est in omnibus eadem cum attributis, ergo & particularia specificant actus diversimodè & notabiliter inter se albedo, & nigredo, quæ sunt

sunt objecta formalia specie diversa singulare inadæquata ipsius potentiae, omnia vero simul sumpta, adæquata, quamvis actus visionis, intellectio[n]is ab uno ex his objectis specificetur.

Sed adhuc aliud insurgit dubium, quare albedo sit objectum formale specificans diversum actum, & nigredo alium, non vero duæ albedines aut nigredines.

Constat ex jam dictis responsio, actus enim notabiliter ex modo suo procedendi juxta prudens judicium differunt quando procedunt ad albedinem & nigredinem, non autem quando duo actus versantur circa duas albedines, quia haec solùm differunt materialiter, à quibus non diversificantur specie actus, & solùm in hanc vel illam albedinem fertur potentia, quia est albedo, & quia habet proportionem cum potentia, ut ab illa per suos actus attingatur, quamvis diverso modo attingat, quam nigredinem, & videmus, quod assensus & disensus proveniant ab eadem potentia, & tamen toto genere differunt, quia habet majorem diversitatem, quam quae reperitur solùm in specie diversis actibus, ergo bene possunt duo actus specie differre ex suo modo tendendi propter diversa objecta formalia.

Quare ab objecto materiali vel solo numero differente, sive proximo, sive remoto non specificantur actus, & de remo-

to quidem non est dubitandum , etiam si specie differunt , nam video album , albedo est objectum formale , substantia vero pa- rietis est materiale remotum , & solum de- nominationis , nam etiam si paries aufer- tur , aut substantia lactis , eadem semper manebit visio : de materiali proximo etiam constat , & solo numero differenti hac vel illa albedine , hoc vel illo intelligibili ejus- dem speciei , nam non diversificantur spe- cie actus , & notabiliter in ordine ad pru- dens judicium , & haec pro brevitatis tesse- ra sufficient , licet plura occurrant , quae in- daganda forent .

LUCUBRATIO XVIII.

*An anima rationalis ex mente Ari-
stotelica immortalis
sit?*

Hec quæstio ardua est ; ac adeò diffi- cilis , vt Conimbricenses ad hanc exprimendam non sint veriti pro- rumpere in quandam tractatum particula- rem de anima separata existimantes ita eos stabilire posse durationem perpetuam ejus- dem , ita vt quidquid dicant omnia veridi- cè exponant , & licet dubium nullum sit dari separationem animæ , attamen an ea detur ex Philosopho non adeò clarum est , vt ipsi supponunt , siquidem aliqui Philosophi

primæ classis Catholici existimarunt Aristotelem semper dubium hac in re fuisse, & modo declinasse in hanc modo in alteram partem.

Advertendum igitur est, quod dum de immortalitate seu incorruptibilitate animæ humanæ loquimur id duobus modis intelligenti posse, vel enim accipitur anima pro ipsius essentia & quidditate, vel prout est sub speciebus intelligibilibus, & actu intelligenti, & in hac secunda acceptione Commentator appellat intellectum speculativum, & hoc modo consideratum dico absolute nominandum esse corruptibilem & temporaneè existentem, neque semper durantem sed dum quaerimus an immortalis sit & incorruptibilis, primo debet accipi modo, & investigari utrum ipsius substantia sit aliquando de ventura de esse ad non esse, seu de existentia ad inexistentiam, & an occasum quandoque expertura sit: & sub hac acceptione ipsem commentator eam vocat incorruptibilem, verum, quia ille ut vide re est apud Gregorim Ariminensem in 2. sensent: distinet 17. & 19. quæst. 1. art. 1. in principio questionis, concedebat quidem animam intellectivam esse formam hominis ut principium operandi, sed non essendi, quod idem est esse formam Averroisticam nempè assistentiam non vero informantem contra mentem Aristotelicam, i. deo

deò prætemissa hac opinione , videamus quo potuisset humine duci Philosophus ad constituendam ejus imortalitatem , & tandem descendamus ad eiusdemmet authoritatem juxta propositum institutum.

Et antequam vltériùs elongemur sciendum est immortale duobus modis intellegi posse , primò id quo nullo modo etiam per potentiam divinam potest desinere , & hoc modo solus Deus est immortis , quia reliqua omnia pendent actu à Deo in fieri & conservari , ita vt possit pro libitu desistere à conservatione , & tunc abibunt in nihilū.

Secundo modo dicitur immortale id , quod natura sua petit conservari semper , quia à nullo dependet nisi à causa prima , & quia non componitur ex aliquo contrario quod possit id destruere , & sub hac ratione investiganda est duratio mentis humanæ , foret hic aliquid dicendum de duratione , & quomodo accipienda sit , sed quia reservamus inferius opportuniori loco de hac aliquid insinuare , ideò

Dico Animam rationalem esse natura sua immortalem , ita fides Orthodoxa , ita SS. Patrum authoritas , ita omnium rectè pieque sentientium doctrina

Et probatur primò quidem ex spiritualitate , & inde pendentia à materia prima , nam quod est independens à materia quod est proprium corruptionis dependet à solo Deo

Deo per creationē atq; àdeò est incorruptibile & immortale , animam verò esse independentem à materia certum est , sed hoc argumentum apud aliquos non multū videtur ponderare , siquidem dicunt etiam animam rationalem traduci cum semine , & tamen à parte post admittunt immortalitatem juxta decretum divinum , sed forte melius argumentabimur si ab experientia deduxerimus argumentum . Videmus enim quo diutius manet anima vñita corpori eo fieri in propriis operationibus vegetiorem in intelligendo , & ratiocinando , judicando , quod in aliis , quæ à materia dependent non contingit : ergò anima est independens , ex quo sic arguo ; anima rationalis est independens à corpore , ac proinde à solo Deo per creationem traducta de non esse ad esse , sed quod dependet à causa indefectibili , nec ullum habet contrarium est indefectibile immortale & perpetuum , ergò cum anima rationalis sit ens tale erit immortalis , & indefectibilis .

Probatur secundò , quod à nulla causa creata dependet in suis operationibus , nec ab ullo potest in iis prohiberi , sicuti dependent reliquæ sicuti aqua est ignis &c non est corruptibile , talem autem esse animam rationalem clarum est .

Argumentum morale producendum non est , quo probatur bonorum opera præmianda

mianda , malorum punienda , & cùm non semper fiat in hac vita , saltem futurum in altera , aliqui enim hoc argumentum vocant nugatorium , nos verò ex hoc ipso argumento demonstrabimus immortalitatem Aristotelicam .

Ulterius probatur datur substantia in- creata natura sua immortalis vt Deus , da- tur pariter alia substantia completa immor- talis sed creata vt Angelus , ergò datur etiam substantia spiritualis incompleta quæ est im- mortalis , cùm similem habeant operandi modum per intellectum & voluntatem , ta- lis verò substantia est anima rationalis , & cùm plurima fundamenta ex sacris paginis eruta adduci possent ad hanc comproban- dam immortalitatem obici posset hoc non facere ad mentem Philosophi , quare deve- niendum est ad rationem quare existimandum sit Aristotelem credidisse hanc immor- talitatem .

Et sanè existimo inter cætera argu- menta , quæ subtilitatem ejus ingenij con- vincere potuissent , fuisse illud quod multi ante ipsum eximii viri hac de re Philoso- phantes existimarunt mentem humanam esse immortalem .

Multi enim qui præcesserunt ipsum sta- giritam ita crediderunt nullo fidei , sed solo naturali lumine convicti , quia hanc im- mortalitatem expiscati sunt ex sola con-

temptatione essentiæ animæ rationalis & ex modo operandi, vndè enim Plato hanc doctrinam hausit, vndè Pythagoras, qui ad ostendendam immortalitatem animarum transmigrationem commentus est, vndè Socrates, vndè Tullius Cicero, vndè Alcmaeon quem ipse Aristoteles citat docentem immortalitatem, vndè Seneca, vndè plurimi alij? non certè aliundè quam ex ilius operationibus independentibus ab illa materialitate, & si hi ante ipsum crediderunt, cur & ipsum credidisse negabimus, nec credibile est illos aliter argumentatos fuisse, quam hisce sequentibus rationibus.

Quod in suo esse non dependet à materia est incorruptibile & immortale natura sua, sed anima humana in suo esse non dependet à materia; ergo ex natura sua est immortalis & incorruptibilis, major per se patet, nam sicut nullum agens potest illud producere excepto DEO, ita etiam nullum poterit corrumpere; minor verò ita probari potest, quod potest habere aliquam operationem independenter à materia in suo esse non dependet à materia, quia in hoc casu sicut se habet esse, ita se habet operari, sed anima intelligit & vult independenter à materia ut supra probatum est, quia cum sint actiones spirituales recipi nullo modo possunt in materia, ergo non dependent in esse à materia.

Non desunt qui existimant objectiō-
nem illorum esse validissimam cūm dicunt,
quidquid habet initium , & finem habebit,
ideo & anima cum in tempore cæperit esse,
& finem expertura est.

Verūm nescio qualis assignabilis sit
necessitas, quod habentia initium ex neces-
sitate sint habitura finem , etenim intelli-
gentia , & secundūm multos etiam Cæli ,
imò materia prima , & quantitas ratione
principij deberent habere finem , quem ta-
men intrepidè negant , ergò non quæcun-
que habent initium habent ex necessitate
finem.

Jam verò an Aristoteles dubius fuerit
de immortalitate animæ , vel certè nihil so-
lidi concluserit modo inquirendum est ,
quantum ad corruptibilitatem Commenta-
tor qui asserebat animam intellectivam
esse substantiam separatam , facile concede-
bat ei interitum , non quidem absolutè , sed
respectu signatorum individuorum corru-
ptibilem in quibus desinit , & cum aliis in-
cipit copulari , verūm hanc corruptionem
etiamsi ut dictum est formam informan-
tem , & non assistentem admittamus , ad-
mittimus , id est solutionem ejusdem à cor-
pore , nec quemquam Catholicum hoc ne-
gaturum adinvenire erit ; quæstio verò est
de ipsa animæ substantia , an hæc interitu-
rasit , nec ne.

Plurimi ergo Philosophi ut supra dicuntur est gravissimi existimarent Aristoteli in utramque descendisse partem semper dubium, semperque fluctuantem, & opus imperfectum reliquise, ita Scotus in 4. sentent. distinct. 43. quæst. 2. postquam glosavit omnes textus Philosophi, tandem determinat ipsum modo declinasse ad affirmativam, modo ad negativam: ita Hervæus in 1. quodlib. in quæst. 11. dicuntque Philosophum non solum absolutè non affirmasse, sed neque adhuc inventas esse rationes, quibus id affirmari possit, ita pariter sensere Thomas Caetanus, & particulariter Petrus Pomponius Montuanus in suo tractatu de immortalitate animæ.

Dico contra illos absolutè ex mente Aristotelis animam rationalem esse immortalē & incorruptibilem, & hic libet per modum apostrophe apponere admiratio-

Cap. 16. nem Zaborellæ contra non credentes Aristotelem piè sensisse, de accretione & nutri-
tione, qui his verbis in eos invehitur: *non possum hic me continere quin dicam id, quod mihi eum locum consideranti venit in mente, quod non credo Aristotelem cogitasse, quamquam illud cogitare maximè debuit; sumitur enim ex eo loco, & ex Aristotelis confes-
sione argumentum aliquod, vel saltem conje-
cta de anima humanæ immortalitate: cùm enim de anima vegetante, qua ignobilissima omnium*

omnium animarum est, loquens ibi Aristoteles, fateatur eam modo aliquo esse immateriam, & elevatam, & liberam à nexu materiæ, quia potest saltem à partibus sua materiæ separari, credendum est animam sensibilem multo elevationem esse, sed maximè omnium animam rationalem, proinde ita esse liberam à nexu materiæ, ut possit enim à tota sua materiæ separari; si alia partes animæ sunt à partibus saltem sua materiæ separabiles, eo enim negato non haberet anima rationalis majorem elevationem quam anima vegetans, quod non videtur esse consentaneum rationi: hæc Za-^{1.} Tex. borella ex Aristotelis libris de generatione,^{41.} verùm antequam vterius procedam observandus est ordo ejusdem Philosophi, quem tenuit in suis de anima libris, quoniam habita hac observatione, quam maximè faciet pro indaganda mentis humanae ex ejus mente immortalitate.

In primo itaque libro docet cognitio-^{Tex. 1.}
nem animæ esse nobilem & honorabilem, &^{2.}
& vterius duo esse perquirenda in scientia^{Tex. 3.}
de anima ipsam primò essentiam & substan-
tiam, secundò ejus potentias & operatio-
nes, & deinde inquirit modum, & viam,
qua pervenire possit ad ipsius animæ defi-
nitionem, dicitque difficilè esse cùm non^{Tex. 4.}
constet, an sit genus, an species, an forma,
^{vñq; 18.} an materia, & an operationes ejus depen-
deant à materia, id est ab organis corporeis,

vt vifio , auditio &c. si enim producit ali-
quam operationem independentem à ma-
teria , vt sunt quæ non recipiuntur in orga-
no , neque per illud exercentur , talem do-
cet seorsim à materia posse existere , si verò
non habet non posse , & sequitur priscorum

Tex. 13. de anima referre sententias , & deinde eas
18. vñq; fusissimè refutat usque ad finem ejusdem
36. primi libri.

In secundo libro refutatis jam aliorum

Vñq; ad sententiis , quod ipse de anima sentiat ape-
Tex. rire incipit ex propria sententia , & defini-

327. tionem animæ in communi quærit & trad-

Vñq; ad dit , deinde prosequendo agit de anima ve-

52. getativa , deinde de sensitiva , & sensibus in

Vñq; ad 66. communi : ex inde usque ad finem de sen-

Vñq; ad sibus internis , & externis , & distinctione

321. sensuum , seu inter intelligere , sapere , &

a. sentire , id est de 5. sensibus in particulari

228. Vñ- que ad diserit , & demum ostendit 5. tantum esse

336. Vñ- sensus externos , & demum usque ad finem

que ad de sensu in communi .

Tex. 40. In tertio libro agit de potentia intelle-
ctiva , & ejus objecto & intellectione , nem-
pè de anima rationali , & deinceps de ordi-
ne animarum , nam de anima ut est forma
corporis naturalis ad Physicum spectat tra-
ctare , & tandem usque ad finem de poten-
tia loco motiva , ad Physicum verò non spe-
ctat tractare de anima separata , tanquam
in eo statu non habente ordinem ad cor-
pus ,

pus, sed Mettaphysicæ considerationis est.

His ita prælibatis mentem Aristotelis fuisse animam rationalem non esse suppositam interitui tenet D. Thomas de anima, non quidem à parte ante, sed à parte post, quod & ego hic intelligo, non enim quæritur vtrum fuerit ab æterno clarum enim est habuisse principium, sed de ejus duratione à parte post investigandum est, rationes vero D. Thomæ, quem ferè omnes Thomistæ tanquam ejus antesignanum seqvuntur, videre est in prima parte quæst. 75. art. 6. & siquidem mentio facta est de duratione quomodo illa intelligenda sit videamus. Sciendum autem est, quod duratio rerum est tam rerum permanentium, quam successivarum permanentia seu continuatio existendi inter modos incipiendi, & desinendi.

Advertendum pariter est duos esse modos incipiendi, totidemque desinendi rerum creatarum, primusque incipiendi modus appellatur intrinsecus seu positivus, secundus extrinsecus & negativus, itaque incipere intrinsecè, est incipere per primum sui esse, hoc est, ut verum sit dicere, nunc res est immediate, ante non fuit, incipere verò extrinsecè est incipere per ultimum sui non esse, ita ut verum sit dicere nunc res non est, immediate post erit, & eodem modo duo assignantur desinen-

nendi modi, vñus nempè intrinsecus & positivus alter extrinsecus & negativus, res desinit intrinsecè quando desinit per vltimum sui esse, ita vt immediate post non sit, desinere verò extrinsecè est desinere per primum sui non esse, ita vt immediate ante fuerit, & tunc est verum dicere nunc res non est, immediate ante fuit.

Vocantur autem duo ex his modis intrinseci rei, scilicet incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse, quia tam primum instans quo res incipit, quam vltimum quo donat intrinsecè pertinent ad durationem rei eamque componunt; alij duo sunt extrinseci, quia vltimum non esse, & primum non esse rei sunt extra durationem illius, nam sunt illa instantia, quæ vel immediate procedunt, vel subsequuntur esse rei, & clarius primum esse rei, & vltimum esse illius sunt duo instantia, in quibus inclusivè durat res, vltimum autem non esse, & primum non esse sunt duo instantia exclusivè illius durationis.

Et prætermissa doctrina Zenonis docentis res indivisibiles quæ incipiunt totæ simul incipere & desinere in instanti intrinseco, in quo habent totum simul esse, propter illud producunt, easdemque res indivisibiles incipere & desinere extrinsecè, quia verum est dicere hoc instanti res non est, &

& in instanti immediate erit, ergo incipit extrinsecè, item verùm esse dicere jam res non est, & in instanti immediate antecedentis fuit, ergo etiam desinit extrinseco.

Evitatis igitur istis disceptationibus accedamus ad meritum, & videamus, cum verum sit dicere quām primum Deus creavit animam rationalem, anima modo est, quae immediatè ante non fuit, modo non est, quae immediatè ante fuit, vtrum ex mente Aristotelis de mente humana possit verificari talis desitio secundūm nempe fui esse.

Ego existimo productionem ètiam rei indivisibilis esse divisibilem & successivam, quia productio identificatur cū conservatione, quae essentialiter est successiva, hinc actio productiva includit simul etiam conservationem; est enim proprium illarum rerum permanentium quae in tempore incipiunt, ut in illis non possit assignari productio contradistincta ab omni conservatione seu causa conservante.

Accedamus jam ad durationem animæ sempiternam ex ipsomet Aristotele, qui passim in libris de anima determinatè sine ^{1. Tex.} vlla hæsitatione docet animam intellectivam, quam formā informantem statuit incorruptibilem esse secundūm suam substantiam. Et quidem scribens de ea declarare volens difficultatem scientiæ de anima lo-

quitur conditionaliter : si inquit intelligere est
 phantasia , aut non sine phantasia non est pro-
 pria operatio animæ , quia non est sine corpore :
 & subinde paulò post iterum conditionaliter
 afferit : si igitur est aliqua animæ operatio
 aut passionum propria , continget utique ipsam
 separari ; si vero nulla est propria ipsius non v.
 Tex. tig. erit separabilis : his igitur duabus con-
 152. Vf- ditionibus positis in eodem libro primo
 155. nullam earum affirmavit nec negavit , sed
 potius suspendit resolutionem quam trad-
 diturus erat , in subsequenti verò libro tol-
 lit primam conditionalem , scilicet si phan-
 tasia est intelligere , ibi enim clarè probat
 differre sensum ab intellectu , & intelligere
 à sentire , vndè dicit phantasia enim alte-
 rum est , & à sensu scilicet exteriori , & ab
 intellectu , vel certè secunda est interpre-
 tatio textus superioris allata juxta litteram
 à Caetano , qui dicit sensum illius conditio-
 nalis non esse , quòd si intelligere est ima-
 ginatio , vel non sine imaginatione , non sit
 separabile à corpore , vel immortale , sed
 non erit sine corpore , quasi dicat non erit
 in sola anima tanquam in subjecto , & ideo
 neque erit propria operatio ejus , sed erit
 totius conjuncti , sicut imaginatio totius
 conjuncti operatio est , quòd verò dicat , aut
 non sine imaginatione , intelligit absque
 dubio , eo modo quo imaginatio non est si-
 ne sensu externo , accipiendo species sensi-
 biles ,

biles, aut materiales ab illo, ita si intelligere non est sine imaginatione à qua species materiales ac sensibiles accipiat, non erit operatio propria animæ recepta in ea tanquam in subjecto, sed totius conjuncti, sicut eadem imaginatio, & ita si interpretetur textus nihil animæ immortalitati officit.

Et in alio loco probat intellectum non esse organicum, & intelligere esse operatio-^{3. Tex:}
nem non expletam per organum, conse-^{4. Vfque}
quenter intellectum omnimodè separatum^{8.}
ab omni organo, neque in eodem recipi intellectionem ad differentiam ipsius sentire,
& prosequitur, quia intelligere non est phan-^{Tex. 20.}
tasia & intellectus & intelligere non sunt organica, ideo intellectum esse immorta-
lem & perpetuum, de quo nunquam erit verum dicere anima est, sed in instanti im-
mediate sequenti non erit.

Manifestum igitur est, quòd licet in primo libro difficultatem proposuerit de anima, quod non ideo determinaverat, quia contra antiquos loquentes de sola anima rationali, & non de omni anima ut ipse fecit, disputandum illi erat, ideo indeterminate subticuit, & signum evidens erat talis ejus mentem fuisse, quia cum dixisset intellectum non esse phantasiam, & paulò post illum esse separabilem & æternum usq;^{Tex. 30.}
ad textum 30. distulit declarare quomodo ^{sine}

sine phantasia non intelligat anima facta comparatione phantasmatum ad intellectum, prout colorum ad visum & licet dicat, quod nihil intelligat sine phantasmate, jam supra in hujus materiae lucubratione satis dictum est, & repeto Aristotelem eo loci loquutum fuisse de anima tanquam formam, nulla habita consideratione ad substantiam illius, quae spiritualis est, nulloque imaginabili modo dependet a materia, vnde si consideretur secundum presentem statum, ut est unita corpori, quod difficulter intelligat sine phantasia transeat, altero vero jam dicto modo, quod absolute non possit intelligere independenter a phantasmatis negatur.

Tex. 36. Quærit iterum in alio loco, utrum intellectus non separatus intelligat aliquid separatorum? ad quid quæsto quæsitum si existimasset absq; phantasmatisbus non posse intelligere, ergo in hoc statu, in quo unita est corpori indiget ad facilius operandum phantasmatisbus, quod inde arguitur, quia in Metaphysicis docens quomodo simplificium substantiarū quidditates non cognoscantur compositione, aut divisione, sed simplici attingentia, & advertens, quod pro hoc statu difficilimè possumus intelligere nisi posita compositione & divisione, hoc modo expiscando ipsum, quod quid est, & ideo dicit, quod pro hoc statu simplificium

plicium substantiarum quidditates ignoramus, dixitque hanc ignorantiam non esse comparandam cæcitati, quæ est privativa visus, cæcitas enim inquit est, ut vtique si quis principium intellectivum non habeat, ex quo manifeste patet, quod Philosophus senserit; intellectum humanum posse intelligere quidditates separatas si non pro hoc statu, quia ordinariè non intelligit sine compositione, ergò concedit posse eas intelligere pro alio statu, ergò concedendo alium statum animæ, agnoscit eam non interire, quod in hoc statu non intelligat nisi difficeret absque phantasmatibus, inde provenit, quia operatur tanquam forma corporis & secundariò, licet non primariò dependenter à corpore, neque verò per hoc tollitur illi potentia operandi absque illis, nam & athleta robustus est, nisi gravetur aliquo oneroso pondere, quo ablato iterum robustus evadit, quod expressè annuit Philosophus de anima, vbi ait: *laboriosum est esse commixtum corpori non potens absolvi, & propterea fugiendum, siquidem melius est intellectui non cum corpore esse*: ita animæ oneri est tanquam substantiæ spirituali addictæ esse materiæ, & operanti ex necessitate dependenter in quibusdam functionibus ab illa per tot onfractus & ambages, quod primo intuitu efficere potuisset si ab illo nexu libera fuisset, ex objectis enim externis produci

ducī debent species vīccariæ objecti, & quidem materiales, & hæ repræsentatæ sensui interno, iterum necessè est, vt aliæ producantur, quæ repræsentatæ intellec̄tui ab hoc defæcari debent à materialitate, & tandem redditæ spirituales repræsentari, adhoc vt intelligat, & recipiantur in eodem intellectu, nonne quæſo hoc onerosum est animæ? non tamen per hoc aſſero vniōnem esse violentam, cum anima sit ens incompletum, quod compleri appetit mediante vniōne, esse tamen quo ad effētū & spiritualitatem, abſtrahendo ab illo appetitu naturali, ejusdem rationis cum Angelis ipſis, niſi quod hi tanquam substantiæ completae perfectiori gaudeant intellectu, quo perfeſtiori modo tendunt in objecta.

Ex quo dico Aristotelem loco ſupra citato per ignorantiam nostri intellectus nil aliud indicare voluisse, quām, quòd hic diſſiculter attingat ſubſtantias abſtractas ratione dependentiæ in operando à corpore: quare recte Toletus ſuper tex. 31. tertij de anima exponit ordinariè intellectum humānum operari mediantibus phautalmatibus, neque poſſe absque illis quidquam proficerre, verūm Aristotelem loquutum eſſe ibi de intellectu práctico, quem inferius expoſens ſuper tex. 34. ait intellectum operari & intelligere in absentia ſenſibilis, quia id commune erat etiā intellectui ſpeculati-

vp, qui eum sic intellexerit in absentia, quæ
sub ratione boni vel mali apprehenderit &
judicaverit rem, tunc movetur appetitus,
& in actione est, id est dicitur practicus,
seu intellectus activus.

Infero igitur ex ipsomet Aristotele,
quod rectè considerat etiam Toletus, in hoc ^{3. Tex.}
textu duplicem statui intellectum speculati-^{35.}
vum Physicum vnum, qui considerat for-
mas vt formæ sunt in materia, alterum ma-
thematicum, qui formas materiae inex-
istentes sine tamen illa considerat, & exem-
plum Aristotelicum de similate seu curvi-
tate nasi adductum satis demonstrat, siqui-
dem curvitas nasi duplicitate considerari
potest, vel enim vt in naso materiali est, &
hoc fit per intellectum Physicum, vel con-
deratur curvitas vel similitas vt similitas sim-
pliciter est, quæ licet affixa sit materiae ta-
men indepenter ab hoc consideratur per in-
tellectum mathematicum, qui considerat
ea, quæ in materia quidem sunt, non tamen
vt in materia sensibili sunt. Quidquid fit ex
his textibus mens Aristotelis non tollit im-
mortalitatem animæ, illi enim ipso, qui asse-
runt animam conjunctam non posse absq;
phantasmatis operari, immortalitatem
tamen admittunt.

Quid verò senserit Philosophus, ul-^{12. Tex.}
tius investigandum est, statum separatum ^{17.}
animæ agnovit in Metaphysicis, ubi licet
videa-

videatur dubitanter afferere, tamen cum
excipit intellectum ab aliis animabus, quæ
interitui sunt obnoxiae, videtur expressè
consensisse, verba autem textus sunt hæc
si autem aliquid posterius permanet considerandum est; in quibusdam enim nihil prohibet, velut si anima tale sit, non omnis, sed intellectus, omnem namque impossibile est duo
veniunt consideranda in hoc textu, vnum
quod nihil prohibeat aliqua manere posterius, nempe separata, cum nullum habeant
obstaculum, seu prohibens quo minus id
fieri possit, & intelligendum est per prohibens, quod nullum adsit contrarium corrupiens id est substantiam, non vero unio-
nem; alterum est considerandum, quod
dicat non omnem animam posse permane-
re posterius, excepto intellectu, quia aliae
sunt materiales, quæ ad interitum subjecti
interire debent, siquidem habent principium intrinsecum corruptionis, quod voca-
tur prohibens, quare scribens de ortu, & in-
teritu: Si daretur inquit calor à materia separa-
ratus, is nihil utique pateretur, præter mate-
riam igitur nihil patitur per se, verum quod
patitur, per materiam patitur, quare forma
non est per se patibilis, sed quatenus in mate-
ria: & idem repetit multis in locis in Meta-
physicis: vbi potestatem patiënti, quam

1. Tex.
ss. interitu: Si daretur inquit calor à materia separa-
ratus, is nihil utique pateretur, præter mate-
riam igitur nihil patitur per se, verum quod
patitur, per materiam patitur, quare forma
non est per se patibilis, sed quatenus in mate-
ria: & idem repetit multis in locis in Meta-
physicis: vbi potestatem patiënti, quam
potentiam passivam appellamus materiae
primæ esse propriam nec ulli competere nisi
per
2. Tex.
17.

per illam , hinc cæteras animas jure merito
 dixit impossibile esse permanere posterius ,
 quia procedunt à principio intrinseco pro-
 hibente , idest principio passivo & corru-
 ptionis : & de anima facta comparatione ad
 potentias organicas : intellectus autem for-
 tassis divinius qnid & impossibile est (*& a-*
libi) de intellectu autem & speculativa po-
 tentia nihil adhuc manifestum est : sed vi-
 detur aliud genus animæ esse , & hoc solum
 posse separari sicut perpetuum à corruptibi-
 li , quod consonat cum loco supra citato Me-
 taphysico .

1. Tex.

66.

2. Tex.

21.

Verum aliqui existimant Philosophum
 hic loquutum fuisse de intellectu agente ,
 quem aut D E U M , aut intelligentiam e-
 xistimant , verum supervacaneum existi-
 mo adducere plures rationes ad oppugnan-
 dam hanc opinionem , sufficiat dicere hos
 afferere intellectum agentem esse realiter
 distinctum à passibili , neque esse informan-
 tem , sed solummodo assistentem quo posi-
 to , quomodo quæsto interpretari poterunt
 illa verba , & hoc solum posse separari , si as-
 sistens solum est , sive Deus , sive intelligen-
 tia sit , natura sua separabilis est , imò sepa-
 ratus , cum enim , vt supra ostensum est , in-
 tellectus seu anima ex mente Philosophi sit
 forma informans , ideo dixit separabilem es-
 se , & posse existere sub ratione propriæ es-
 sentiæ præcisa vnione , frustra ergò dixisset

intellectum agentem tanquam assistentem esse separabilem , quis enim nescit nautam separabilem esse à navi ?

Herveus verò conatur glosare hunc textum , & dicit , quòd dubitanter dixerit esse aliud genus animæ , non affirmanter , & cùm idem Philosophus in tex. 19. quæsivisset utrum omnes partes animæ id est potentia sint separabiles ab invicem solum ratione , vel loco & subiecto , subdit patere de quibusdam non separari loco , de quibusdam autem dubium esse , & ita dicit , quòd de intellectu & potentia speculativa dubium sit , quia intentio ejus non erat agere de pura essentia animæ , sed solummodo de ea pro ut actuat corpus , hinc dicit nihil certi haberi , & hoc idem est contra illos qui existimant Aristotelem per intellectum agentem intellexisse Deum , vel intelligentiam , Deo enim absolute competit immortalitas , neque crediderim eos existimare intelligentias mortales , neque pariter credibile est , quod tractando de mente humana , tanquam forma actuante corpus , immiscuerit intellectum agentem Deum , nempè realiter ab intellectiva separatum , nam ejus institutum fuit traddere de anima , & ejus quidditate , & definitione , quis enim ita progrediendo non taxaret Philosophum , quòd tam longè deviasset ? de Deo enim in Ethicis ex professo pertractat : & libris Moralium

ratum Nichomachiorum explicans intelle-^{10. Cap.}
 dum divinum , & hominem , talem inquit^{7.}
 si traducat vitam secundūm intellectum ,
 ergo etiam hominis vita , quæ ex intellectu
 traducitur : & iterum de anima intellectum
 ait separabilem esse , immixtum , impassi-^{3. Tex.}
 bilem , & immortalem , scio te dicturum^{19.}
 loqui ibi de intellectu agente , sed cum su-
 pra ostensum sit sine fundamento statui
 hunc duplēcēm intellectum vltērīus in hoc
 non est inquirendum ; & profectō juxta hos
 glosatores , qui dicunt intellectum agen-
 tem non intelligere , sed agere ut intellectus
 possibilis intelligat , & omnia fiat , videatur
 locus : *necessè est itaq; quoniam omnia intelli-*^{3. Tex.}
git , immixtum esse , sicut dicit Anaxagoras^{4.}
dominetur : hoc autem est ut cognoscat , in-
 terpretentur modò si possunt hoc intelligi
 de agente , id est de Deo , nam intelligere
 includit reductionem de potentia ad actū ,
 Deus autem nunquam est in potentia juxta
 etiam mentem Aristotelis , sed semper actu
 intelligit , & textu sequenti ad confirman-
 dam hanc opinionem subdit : *quare neque*
ipsius vlla est natura , nisi hec quod possibilis ,
qui igitur vocatur animæ intellectus , nihil est
actu eorum , quæ sunt antequam intelligat :
Nescio sanè an clarioribus verbis potuisset
propositum nostrum explicare , vnde neq;
rationabile est ipsum mixtum esse cum cor-^{3. Tex.}
pore , & reddit rationem , nam si organi-^{6.}

cus esset, fieret calidus aut frigidus, & ei instrumentum aliquod esset sicuti sensitivo, nunc autem nullum est, sed quis forte dicere posset, esse quidem instrumentum, sed latens, ast cum Toleto respondemus si cæteræ potentiaæ organicæ habent instrumenta, quid ni & huic natura attribuisset potens cum intellectu operatio inter omnes alios sit præstantissima, & nobilissima; & alibi comparans intellectum parti sensitivæ: ait intellectum ex forti intellectione corroborari, sensitivum vero ex forti sensatione debilitari, & reddens rationem, quia inquit sensitivum non est sine corpore: hic autem, id

Tex. 7. est intellectus est separabilis, & alio loco: in his enim, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur, scientia enim

Cap. 3. speculativa, & ipsum scibile idem est: & in statu de intellectu agente multa videre est quæ faciunt ad rem, sed quia recedere nolunt ab impressa sibi opinione intellectissime

3. super Tex. 21. Deum, vel intelligentiam, quare cum To-

leto de anima dico quod non afferat separatum esse sed posse separari, & licet Alexander interpretans hunc textum, dicat Aristotelem dubitanter loquutum fuisse, cum dixerit videtur. Simplicius vero expresse ait assertivè intelligendum esse verbum illud, non alio modo, quam si dixisset manifestum est.

Accedamus ergò ad alias authoritates
ad

ad meritum facientes , de anima intellectus ^{3.} Tex.
 humanus potest intelligere se ipsum , ecce ^{8.}
 operationem propriam intellectus : quod
 argumentum deduco ex Metaphysicis :
 quæ carent materia sunt incorruptibilia , sed ^{12.} Tex.
^{33.} intellectus humanus ex autoritatibus supra
 allatis caret materia , ergo est incorruptibilis ,
 major est Philosophi , minor etiam ejusdem , ubi
 ostendit intellectum non esse organicum , quia
 nec calidus , nec frigidus est , sed ulterius pro-
 batur ex eodem de anima : agens enim de ^{1 Tex.}
^{92.} partibus animæ , & potentia earundem in
 corpore , nec fingi quidem dicit posse quo-
 modo intellectus contineat aliquid corpo-
 ris , ergo intellectus ex doctrina ejus caret
 materia , ergo est in æternum duratus .

Non reminiscimur , id est post mortem , ^{3. Tex.}
 quia intellectus passivus corrumpitur & si-
 ne hoc nihil intelligit anima , ecce quomodo
 præter statum conjunctum attribuit anima ^{Cap. 7.}
 etiam separatum ; repetit scribens de mundo , ^{circa fi-}
^{nem.} ubi postquam enunciaisset : Deum unum esse
 eundemq; esse principium & finem , & me-
 dium rerum omnium tenentem , rectaque
 linea incidentem , illum quidem operari se-
 cundum naturam , à vestigio tamen habere
 comitem justitiae præsidem , divinæ legis
 vindicem , & progrediens , cuius ut sit par-
 ticeps numinis , jam indè opportet ab ini-
 tio , qui ad vitam beatam evalsurus est atque
 felicem : hoc nonne portendit aliud præter ^{10. Cap.}

statum coniunctum? iterum in Ethicis: at qui
 ex intellectu operatur, huncque excusat,
 atque optimè afficit, is esse Deo carissimus
 videtur, nam si aliquam humanarum re-
 rum curam Dii habent, sicut videtur, con-
 sentaneum est ipsos re illa, quæ optima est,
 atque ipsis maximè cognata delectari, qui
 est intellectus, eosque eos qui eam maxi-
 mè amant remunerari: jam ergò si intellec-
 tum humanum cognatum Dei appellat,
 quomodo ipsum materialem agnovisset,
 quomodo quæso eum interitui obnoxium?
 Deum enim ut supra loco citato æternum
 ducentem vitam æviternam nuncupat, &
 intellectum habentem affinitatem seu si-
 militudinem ejus temporaneum pronun-
 ciaret, absit, absit inquam nec suspicionem
 de ipso similem habere qui adeo pius in
 Deum extitit, qui in magnis Moralibus re-
 futans fatum, seu fortunam prorupit in hæc
 2. Cap. 9. verba: *An id minimè videri debet, talium si-
 quidem Dominum præficiimus Deum, ut bo-
 na, malaq; meritis distribuat:* & profecto si
 profundiori collectione perpendamus scri-
 pta Aristotelis eum omnes sacras paginas
 2. Tex. 34. perlegisse animadvertisimus: etenim de cæ-
 lo videre opportet causam dicendi, quænam sit,
 præterea quo pacto se habeant in credendo, v-
 trum humano modo, an validius: ecce quo-
 modo fatetur aliqua credenda esse licet hu-
 manum captum excedant, validius enim
 sonat

sonat aliquid quod excedit humanum modum credendi , nam perlecto sacro Codice nullum dubium est eum etiam perlegisse de futura resurrectione , & profecto etiam ratione naturali id comprobari potest , quo motivo puto ductos fuisse etiam Gentiles ad id ipsum comprobandum . Etenim qualis rei est operatio , talis etiam necessario res esse debet , operatio enim ex natura provenit , igitur ex operationibus ijsdem in specie , res in specie colligendae sunt , si operationes immateriales , & principium immateriale necessario esse debet .

Voluntas nobis manifestè ostendit naturale immortalitatis argumentum , hujus enim operationes sunt nolle , & velle , sed certum est has operationes liberas esse , nec ullo modo dependere à corpore , cum sàpè sàpius videamus voluntatem operari contra omnem appetitum sensitivum , quare voluntas dominatur sensui quia libera est , quod si ab hoc dependeret id fieri non posset , nam sicut umbra sequitur corpus , ita in operando voluntas sequi deberet appetitum sensus : Et ulterius deduco argumentum ex Toleto in libris de anima , quia dantur quædam virtutes , & virtutum actus , quæ nullo modo possunt esse in sensu aut in corpore , ut justitiae virtus . Religionis , spei in Deo , timor Dei , reverentia Dei , fiducia in Deo , amor Dei , &c. sensus enim aut appetitus

non potest ascendere ad tam altum obiectum amandum, vel expetendum qualis est Deus, & res divinæ.

Et vterius idem Toletus loco citato desumit etiam argumentum ex operationibus intellectus, ex fide nempè in intellectu, & ex fidei actibus, & non solum divinæ, sed etiam humanæ, hi actus enim sunt supra omnem sensum, & corpus, neque ullo modo ab hoc pendere possunt, quia credimus quando volumus, si quidem intellectus manus non cogitur ad credendum in rationis, quia taliter esset scientia vel opinio, sed movetur solum auctoritate, quia ita vult consentire & credere, fides enim non solum divina, sed etiam humana in hoc consistit, quia nos movet auctoritas dicentis, & hic actus est a corpore & sensu sejunctus, & hoc argumentum multifariis rationibus per totam questionem deducit, quos ibi videre quisque poterit.

In Metaphysicis comparat intellectum

12. Tex. Deo dum querit, utrum omne carens materia sit indivisibile, ut intellectus humanus, si existimat intellectum humanum expertem materia indivisibilemque esse, necio quomodo ex illo solo textu negari possit immortalitas mentis humanæ, maximè cum circa medium textus afferat: cum igitur non sit diversum id quod intelligitur & intellectus, quacunq; non habeat materiam idem erunt

erunt, ac intellectio una ejus quod intelligitur, en quomodo intellectus est absque materia, ac immaterialis, & paulo post ut supra: an omne non habens materiam indivisibile est, quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet, nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc, verum in toto quodam quod optimum est aliud ab eo existens, sic autem sua ipsius intellectio per totum aeternum se habet: haec vltima verba dupliciter interpretor, vel enim intelliguntur de intellectu humano, quod in statu non coniuncto in aeternum sit intellecturus, & sic prorumpit immortalitas, vel intelligentia est de intellectu divino, & sic textus 21. libri tertij vbi vocat intellectum esse aliud quodam genus animæ, non erit ipse Deus, quia ibi nominat intellectum non esse semper intelligentem, quocunque ergo modo accipias semper erues animæ aeternam duratinnem.

Redeamus vero ad textum existimo ergo Phisophum hic intendisse omne non habens materiam esse indivisibile ac inseparabile à sua operatione, omnem itaque intellectum separatum, ac Deum cuius antea contemplationem instituerat semper intelligere, nec ullo tempore intermittere munus suum intelligendi, argumentatur ergo à minori ad majus, & ad argumentandum accipit intellectum humanum, qui aliquan-

do vnitus est materiæ , & aliquando segregatus ab ea , ac dum est vnitus non semper intelligit , sed plerumque interrupitur ab opere , vbi verò est à materia abjunctionis , in-deficienter intelligit , quod illis verbis docet , an omne non habens materiam indivisiabile est , videlicet omne principium immateriale non est separabile à sua operatione , ac cum omne carens materia sit quodam intellectuale , igitur cuncta præter intellectum , ex necessitate conjuncta sunt materiæ , ergo omnis intellectus separatus à materia est indivisibilis à sua operatione , igitur semper intelligit , quia verò aliquis intellectus ut divinus , & intelligentiarum semper separati existunt à materia , alij verò ut humanus non semper , quod Aristoteles demonstrat per illa verba , quemadmodum intellectus humanus , aut qui compositum in aliquo tempore se habet , nempè humanus intellectus , ideo apparet eum admisso intellectum separatum , & cum intellectus contrahat aliquam labem à corporis consortio , ideo subjunxit non bene esse habet rationalis anima in hoc , nempè corpore humano , aut in hoc , satyri nempè corpore , quos gentilitas Deos existimabat , intellectus verò vnitus materiæ , impeditur sàpè ne intelligendo verum assèquatur , sed plerumque in cognoscendo sàpè sàpius decipiatur , neque semper intelligere possit , &

& ideo crebro operationem intellectonis intermittere cogitur, vnde moles corporis officit intellectioni, & pondus materiae tardiorum reddit sensum communem, ita scripsit de anima *verum in toto quodam, quod optimum est aliud ab eo existens*: intellectum ^{3. Tex.} existere in toto asserebat, dum separatus est à corpore tunc nominabat intellectum totius, existens aliud ab eo, nempè corpore, cui aliquando vnitus fuit, tunc à corpore separatus, non amplius in composito pars, sed in toto, id est mundo existens, quoddam ens per se subsistens, est quod optimum, id est in suo genere; laboriosum enim est animae vnitam esse corpori, quia sic separatus optimè se habet, ac semper intelligit, & dum ultima verba adfert, sic autem sua ipsius intellectio per totum aeternum se habet, intelligendus est, quia materiae non est vnitus à qua impediatur ne semper intelligat.

Intellectum verò à corpore separatum dici quid in toto mundo existens, conjunctum verò non dici amplius in universo; sed in corpore, in materia, in composito, Priscorum mos loquendi fuit receptus ab ipso Philosopho, quod patet ex Orphicis carminibus de anima.

Verum in libris pariter de anima du- ^{1. Tex.}
bitat an intellectus humanus conjunctus ^{84.} *cognoscat divina & abstracta ab omni ma-* ^{3. Tex.}
teria, in Metaphysicis verò resolvit, nos ob- ^{36.}
scurè

2. Tex. scurè valdè intelligere, & non longè similem notionem de divinis distare à cætitate;
9. Tex. verùm alibi in ijsdem Metaphysicis, dicit
22. felicitatem esse perfectum quid, & carere omni imperfectione, ex quo clarè constat mentem humanam aliquando esse separatam à corpore, & tunc res divinas perfectè contemplari, & perenni felicitate beari in
10. Tex. Ethicis. Et profecto felicitas quæ nobis accedit dum intellectus est conjunctus corpori, illa est quam Philosophus dicit nobis in.
39. esse paucō tempore ex Metaphysicis, illa verò quæ competit animæ separatae ex contemplatione divinorum est, quam alibi ait
12. Tex. communem esse Deo, qui seipsum optimum contemplatur per totum æternum: ex quibus sequitur dari intellectum ex mente Philosophi separatum.

10. Cap. Videamus verò quomodo loquatur de statu futuro in Ethicis, verba sunt hæc: Si igitur intellectus divinum quid est, si ad hominem respiciamus, sic vita quæ ex intellectu traducitur, si humana vitæ comparetur, divina ipsa etiam est, neq; verò opportet quemadmodum non nulli monent, unumquemq; cum sit homo, humana & cum sit mortalis cogitare mortalia, sed quatenus licet se immortalem reddere, omniaq; efficere, ut ex præstantissimo omnium, qua in ipso est, vitam traducat: quid plura hortatur omnes ad contemplationem vitæ futuræ.

Sed

Sed ipse met laudat antiquos bene sen-^{3. Tex.}
tientes de immortalitate animæ , de anima^{49.}
in fine textus postquam dixisset : *laboriosum*
esse animæ unitam esse corpori , siquidem me-
lius est intellectui non cum corpore esse , quem-
admodum & consuetum est dici , & multis pla-
cet : non redarguit , sed tacitè laudat.

Probatur verò ulterius immortalitas^{2. Tex.}
animæ ex textibus Aristotelis & quidem de^{2.}
anima , vbi comparat animam materiæ^{3 Tex.}
primæ , & licet materia prima dicatur cor-^{4.}
ruptibilis , non ratione propriæ entitatis ,
quam expressè docet ingenerabile & incor-
ruptibilem , nam ejusdem ratio cur mun-
dum dixerit fuisse ab æterno est , quia si ma-
teria fuisset aliquando producta , ea quidem
vel ex nihilo , vel ex subiecto , non ex pri-
mo , quia ex nihilo nihil fit , non ex secundo ,
quia ad hoc quod producta fuisset ex alio
præexistente subiecto , ergò ipsa non esset
materia prima , & tamen substantialiter est
subiectum primum , ergò ex mente illius^{1. Tex.}
non est generata , ergò est incorruptibilis ,^{126.}
sed iterum de cælo per totam partem septi-^{27. 28.}
mam usq; ad finem generatio & corruptio
sunt termini convertibiles , de mente illius
idem dicendum erit de anima rationali , &
si alicubi materiam primam corruptibilem
appellat , hanc corruptionem respicere for-
mas dicendum est , comparatio verò facta à
Philosopho certum est , quod non teneat se^{1 Phil.}
respe-^{Tex. 82.}

respectu solummodo entitatis, quia hæc potentia est, illa verò actus, sed solummodo respectu originariæ entitatis, ita ut quemadmodum illa originariè est incorruptibilis, ita & anima ejusdem sit rationis, & repeto argumentum quod superius in alia lucubratione retuli, idem Philosophus de generat: animalium, ait mentem solam humanam advenire ab extra, qui locus explicandus est, quoniam ita resolventur objectiones quæ adduci solent; loquitur igitur ibi de anima vegetativa, qua planta, de sensitiva qua animal, & de intellectiva qua homo, & duo proponit, primò utrum omnes animæ præfuerint, an nulla, an aliqua ita secundò utrum omnes veniant ab extra, vel omnes sint ita in materia, ut necessè sit fateri advenisse è potentia materiæ, vel aliqua saltem ab extra originem ducat, aliqua autem non, & tandem concludit quod sola mens ab extra adveniat.

Ex quo patet mens Philosophi, & quod pariter nullo modo fuerit loquutus de intellectu agente, vt aliqui conantur afferere, ad quid enim intellectum agentem contradictum, & actu separatum ab intellectu possibili commiscuisse cuim anima vegetante & sentiente? non videtur certe ratio id afferendi, loquutus est ergo de anima, qua homo est homo, vnde contorqueat se Caetanus quantum libet, nunquam poterit genuinè

genuinè aliter interpretari supra citatum textum , nam cum eo loci separatim agat de quolibet gradu animæ ad quid ut dixi immiscere sermonem de intellectu agente , quem dicunt esse substantiam separatam , & ab omni materia sejunctam , & sive sit Deus , ut aliquibus placet , sive intelligentia ut aliis , sive anima intellectiva constituens tamen vnum quid cum intellectu possibili , frustraneum erat hic inferere.

Ex quo rectè & indubitanter infero ex mente Philosophi animæ immortalitatem ,^{22. Tex. 51.} incorruptibilitatemque tamquam nullo ne-xu Physico dependentis à materia & quantitate , & videtur id corroboratum ex Metaphysicis , dum inquit , intellectum huma-num non bene se habere dum conjunctus est corpori , ast optimum esse habere dum extra corpus est , & propterea melius esse intellectui humano non cum corpore esse , quemadmodum consuetum est dici , & mul-tis placet vt afferuit in libris de anima , atq; intellectum , dum separatur fieri id , quod verè est , & paulò post prosequitur : etenim quædam melius est non videre , alioquin non fuerit quod optimum , intellectio se ipsam ergò intelligit , si est quidam quod o-ptimum est , & est intellectio intellectio intellectionis intellectio tanquam quid optimum , si ve-limus hunc textum in sensu sano interpre-tari , cogemur dicere , eum hic loqui de spi-ritua-

ritualitate animæ , quæ non subjacet cæci-
tati oculorum , neque potentia visiva se di-
fundere potest ad perscrutandum tantum
arcanum , ideo rectè dicit melius est aliqua
non videre nisi intuitu mentali , quia quod
optimum est non cadit sub visum , & sic ita,
optimum non est , id est spirituale , hinc
dum anima inquit se ipsam speculatur est
intellectio intellectionis intellectio , nempe
operatio proveniens à principio optimo id
est immateriali , tendens pariter in opti-
mum , in immateriale , & cum superius o-
stensum sit principium corruptionis depen-
dere à materialitate , igitur quæcunque ca-
rent hac non sunt interclusa terminis cor-
ruptilibus , ergo concedenda est animæ
duratio etiam post separationem.

Sed quod mirum est nescio quomodo
z. Tex. illi qui dicunt dubium extitisse Aristotelem
82. circa animæ immortalitatem non adverte-
 rint quid dicat scribens de anima disputans
 contra antiquos inquit enim : *Principalissi-*
mum enim est illud , quod continet , quodcun-
que est , anima autem esse aliquid melius &
præstantius impossibile est , impossibilius autem
adhuc intellectu , rationabilissimum enim est ,
esse hunc antiquissimum , & Dominum secun-
dum naturam : si ergò expressè dicit nihil
præstantius esse intellectu , certè eum ab o-
mni materialitate segregavit , non dixit esse
ab æterno , aut ab æterno extitisse , ideoque
anti-

antiquissimum appellavit contra Platonem , quem seqvutus videtur Origines , qui putabant omnes humanas animas simul ante corpora extitisse , & propter errores quos in illo statu comiserant ad corpora , vt ad carceres fuisse transmissas , quod tamen Aristoteles expressè negat in Metaphysicis ,^{12. Tex.} vbi expressè negat ullam formam præcede-^{16.} re suum subjectum . Igitur ex dictis cum intellectui attribuerit gradum , & attributum præstantissimum præ cæteris animabus , nullum dubium est ejus etiam essentiam eminentiorem agnovisse .

Et certè argumentum indubitatum mihi videtur pro immortalitate ejusdem ^{2. Tex.} animæ dum in libris de anima proponit conditionalem : *si enim inquit anima non est separabilis à corpore , aut aliqua ejus partes , si partibilis ex sua natura est , manifestum est , quia quorundam ipsarum partium est actus , à quibusdam verò esse separabilem cum nullum sit prohibens , propterea quod nullius corporis sunt actus : nomine verò actus non intelligit actum primum , idest actum informandi & vivificandi , quoniam sub hac ratione anima est actus omnium partium , totiusque corporis , sed intelligendus est de actu secundo , videlicet de modo operandi .*

Si datur ergò pars aliqua quæ in operando non dependeat à corpore , ergò ex illius mente separabilis erit , & hæc ex pluri-

mis supra citatis textibus intellectus est tan-
quam potentia inorganica.

Et iterum de anima postquam loquu-

i. Tex. 65. tus est de passionibus 63. & 64. ait : Intel-
lectus vero videtur innasci substantia quadam
existens, & non corrupti, maxime enim cor-
rumperetur utiqz ab ea, quae est insenio debi-
litate, nunc autem quemadmodum in sento-
riis accidit, sic enim acciperet senex oculum,
& videret utique sicut & juvenis, propterea qz
senium non est quia sustinuit aliquid anima,
sed in quo, sicut in ebrietatibus & morbis:
jam ergo consideranti patet, quomodo pas-
siones non attribuat animae, sed corpori,
sed animam pernitus immateriale agno-
scat, nam debilitatem visus in senibus attri-
buit organo & complexioni, non vero ani-
mae, imo paulo post subjungit : Igitur intel-
lectus & ipsum speculari marcescit, alio quo-
dam interius corrupto, ipsum autem impassi-
bile est, quod intelligendum est, alio quo-
dam interius id est habitus marcescit, vt
supra expositum est, corrupto enim habitu
corrumpitur denominatio intellectus habi-
tualis, non vero substantia intellectus, quia
haec subsistere potest absque habitu, propte-
rea concludit ipsum vero impassibilem
esse.

i. Tex. 53. Et non minus validitas argumenti pro
animae immortalitate eruitur ex libris de a-
nima, vbi arguit fabulosam animarum Py-
tha-

thagoricam transmigrationem, eo quod Pythagoras solum loquitus fuerit de anima, non vero de susceptivo nempe corpore, ideoque comparat animam arti Tectonicae in fistulas ingredienti, opportet enim inquit artem ut instrumentis animam autem corpore, ex quibus sic

Infero satis erat Aristoteli impugnare transmigrationem si dixisset, pereunte subiecto, & ipsa forma substantialiter & entitativè perit, ergo non datur transmigratio animalium, sed quia agnovit ejus immortalitatem, ad hanc demonstrationem non devinit, quia scivit ablata etiam unione illam superstitem, alio ergo usus est argumento videlicet, ad hoc ut quodlibet ingrediatur corpus, debet in eo habere instrumenta & organa disposita ad operandum, sed quodlibet corpus haec non habet, ergo illa transmigratio fabulosa est, & inde propter hanc transmigrationem dixit in fine textus, quod unumquodque propriam habeat speciem & formam, species vero humana ratione mentis plurimis in locis divinam nuncupat, & participare quid de divino afferit, de partibus animalium: *Solus enim animalium omnium 2. Cap.*
erectus est homo, quoniam ejus natura atque 10.
Substantia divina est, officium enim divini est 10. Cap.
intelligere atque sapere (& in Ethisis) ac talis 7.
quidem vita præstantior esset quam homini con-
veniat, non enim quatenus homo est, ita vi-

vet , sed quatenus quid divinum in eo inest ;
 quanto autem id præstat composito , tanto quo-
 que ejus operatio ab operatione distat , que ex
 vivente alia existit , si igitur intellectus divi-
 num quid est , si ad hominem respiciamus , sic
 vita , quæ ex intellectu traducitur , si humana
 comparetur divina etiam ipsa est .

Advertendum autem est hic Aristote-
 lis artificium , quia duplicem assignat vi-
 tam , vnam nempè civilem quam vocat
 humanam , alteram intellectualē , cuius
 naturam statuit in contemplatione , & hanc
 ait si comparetur civili divinam est , quia
 illa operatur ob commodum humanum ,
 hæc autem secundūm dictamen intellectus
 respiciendo ad ejus essentiam , quod ex e-
 jusdem verbis liquido patet , dum de con-
 templativa loquitur , præstantiorem illam
 esse ait , quam homini conveniat , quod ex-
 planat illis verbis , quanto autem id præstat
 composito , id est , si consideretur pura ejus
 substantia operando differt quasi à se ipsa ,
 cum operatur dum est in composito , id est
 medio corpore , nescio profecto an clarius
 loqui voluisset ad demonstrandam ejus du-
 rationem & æternam permanentiam , quod
 quidem concordat cum textu alibi citato ,
 quod nempè laboriosum sit animæ esse cum
 corpore , quare alia plurima Philosophi ar-
 gumenta adduci possent , ex quibus eviden-
 ter patet eum pluries intellectum huma-
 num

num vocasse divinum, ob ejus præstantiam & excellentiam, maximè cum degat in hac terrea corporis mole, habeat nihilominus sibi debitam & propriam operationem, in qua obeunda non vtitur corpore, vndē rectè dixit, divini officium est sapere & intelligere, si enim mortalis esset & corruptibilis, vtique materialis esset, à materia enim vt supra dictum est omnis corruptio ducit initium, & tamen materia prima non est susceptiva magis & minus, ergò operationes mentis humanæ tam nobiles & præstantes, quæ sapiunt naturam divini nullo modo à principio materiali scaturire dicendum est, imò ipsum Philosophum expresse ita sensisse judicandum est.

Quare D. Thomas explicans locum ^{10. Tex.} quendam Aristotelis in Ethicis prorumpit ^{13. cir-} in hæc verba: ostendit quomodo fælix se ha-cafinē. beat ad superiora scilicet ad Deum, & dicit quod fælix felicitate speculativa, quia operatur secundūm intellectum, contemplando veritatem, & curam suam apponens ad bona intellectus videtur esse optimè dispositus, in quantum excellit in eo, quod optimum hominis est, & est amantissimus Deo; supposito, sicuti rei veritas habet, quod Deus habeat curam & providentiam de rebus humanis, rationabile est quod delectetur circa homines de eo quod est optimum in eis, & quod est cognatissimum id est simillimum Deo, quod quidem est intelle-

Etus, ut ex præmissis patet, & per consequens rationabile est, quod Deus maximè benefaciat his, qui amant intellectum, & honorant ipsum bonum intellectus omnibus aliis præferentes: hæc D. Thomas ad mentem Philosophi extollentis adeò singularem & mirabilem naturam intellectus.

Nec quidquam obstat, quod alicubi Philosophus in libris de cælo soli D E O attribuerit nomen immortalis, quia vt ibidem videre est, recitat mentem antiquorum, hos autem vocabat Hebræos, & dicit quod de eorum sententia sumpta immortalitate primo modo, vt in principio hujus lucubrationis dictum, solum immortale sit id, quod motum quandam habet, talem tamen habet, sunt illius verba: *vt nullus sit finis ipsius, sed potius iste aliorum finis sit, nam & finis continentium est, & hic perfectus existens continet imperfectos, & habentes finem ac quietem (& notanda sunt verba) ipse neq; principium ullum habet, neq; finem, sed incessabilis est infinito tempore: vbi advertendum quod licet circumscribat immortalitatem Dei per attributum non habentis principium & finem, & per incessabilem motum, non per hoc excludit alia immortalia, habentia quidem principium, non verò finem, & per non habens principium distinguit Deum ab omnibus non habentibus finem, Deum enim descriptis dicendis sem-*

semper extitisse , existere & extiturum per omnem ævi ævorumque durationem quod comprobatur ex eodem de cælo , dum in-^{2. Tex.}
quit locum superiorem honorabiliorem , ac ^{34.} diviniorem esse loco inferiori , sicut ea quæ ad ante fiunt , ad ea quæ ad post fiunt.

Et profecto capere non possum quare tantopere in omnibus libris Ethicorum & Moralium Eudemiorum commendet virtutem , inculcatque hominem non operantem secundum intellectum , sed solummodo secundum naturam humanam qua homo est , non hominem appellandum esse , & non differre à cæteris brutis , nisi sola ratione qua abutitur , cum nullum sibi præfigeat finem in ordine ad quem cunctæ ejus dirigantur operationes , & si homo sibi non præfixerit hunc finem , non hominem , sed amentem asserit , ita in Moralibus Eudemis ^{r. cap. r.} quapropter inquit vita proposito fine carens , insignis stultitiae argumentum est : in primis vero apud se se quisq; nec temerariè , nec segniter , constituere debet , qua nam parte beata vita consistat , & quid sit , quo sine nemini ea contingat : hæc ille , verum quidem est quod beatitudinem describat , ut in Ethicis in vita videlicet contemplativa , sed & hæc quo nam tendat constat , enimverò & hanc ait nunquam motu caritaram , dum perveniret ad statum in quo ejus esse erit optimum.

1. Tex.

66.

Deducitur vltterius immortalitatis argumentum de anima: cogitare autem, & amare, aut edisse non sunt illius passiones, sed hujus habentis illud secundum quod illud habet; quare & hoc corrupto negat meminit, neque amat, non enim illius erant, sed communis quod quidem destruclum est, intellectus enim fortassis divinus quid & impassibile est: ubi manifeste ostendit passiones illas spectare ad corpus, vel si etiam ad animam ad hanc respectu corporis, ideo dicit quod destructio corpore desinat illae, quia animi non sunt, propterea concludit animum impassibilem esse, & repeto quod superius insinuatum est, dum enim disputasset de vegetativo & sensitivo, istaque principia non esse separabilia concludit intellectum aliud genus animae esse, & ab his supradictis separabile sicut perpetuum a corruptibili.

1. Ca. I.

3. Tex.

20.

De partibus animalium non esse Physical tractare de omni anima, non enim de intellectiva; siquidem non habet esse dependens a corpore, & demum expressè testatur de anima: cum intelligimus operationem quidem intellectus non manere post separationem ejusdem a corpore, manere tamen secundum suam essentiam, id est non manere quo ad modum operandi, quia conjuncta operatur ad exigentiam corporis, ergo anima ex ejus sententia est immortalis: verba textus sunt haec: Sed non a-

J. J. M.

liquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit, separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est & perpetuum.

Verum ad magis particularia descendamus, scribit enim Cælius Rhodiginus a-
deò staguritam fuisse cultorem pietatis & ti-
mentem futuros eventus in altero statu, vt
moribundus lacrymatus fuerit implorans
misericordiam divinam, libet ejus verba
proferre: proditum & illud monumentis est,
cum Philosophus hic extrema sibi ingruere præ-
sens esset dolore, ac spe in lacrymas amplius pro-
fusum, primæ causæ misericordiam implorasse
intentius, nec alio ut reor ductus motivo, quam
dolore tactus ob crimina humanitus commissa
penitentia loco illacrymatus: sed ad quid hoc,
nisi spe veniae melioris vitæ potiundæ tene-
tur? ejusdem etiam opinionis fuit Suarez.^{6.} Me-
qui ex Diogene Laertio eandem recitat o-^{taph.}
rationem, & iterum idem Rhodiginus anti-^{Tex. 2.}
quarum lectionum repetit id ipsum, cuius p. 145.
verba hæc sequentia ad litteram sunt: & in
libro de pomo quisquis fuerit author adnota-
tum invenias, Scholasticos qui morienti ade-
rant Aristotelii, cum is expirasset, sic virum ^{18.} Cap.
affatos: qui Philosophorum animas excipit, & ^{33.}
tuam colligat in suis recondens thesauris, uti a-
nimam addocet recti hominis & perfecti, qua-
lemente novimus: quid vero mirum si ita pre-
cati sunt discipuli, qui audierant morien-
tem

tem à D E O misericordiam implorantem ; neque animam ejus commendassent Deo , nisi ab eo didicissent illam esse immortalem , quod existimo argumentum indissolubile , frustraneum enim fuisse primo enti commendare quæ ad disunionem cum corpore transit de esse ad non esse.

3. Tex. 32. Et tandem immortalitatem concludimus ex Physicis vbi laudat Anaxagoram afferentem animam esse impassibilem : *qua propter & Anaxagoras , recte dicit mentem esse impassibilem & immixtam.*

Hæc itaque dicta sint ex mente Philosophi , mentem scilicet humanam immortalem esse à parte post in æternum scilicet duraturam (*supposito concursu conservativo DEI ,*) modo verò videndum est , autem ex ejus opinione æterna sit à parte ante , & præextiterit corpori .

2. cap. 3. Existimarunt nonnulli quod sic , & de sumpserunt opinionis fundamentum ex libris de generat. animalium , vbi ait mentem advenire ab extra , quasi præextiterit corpori , & concludunt si advenit corpori seu materiæ , ergò præextitit , verùm abundè supra explicavimus locum istum , & conclusum est , quod illud advenire non includat præexistentiam realem , imò materiam seu corpus organizatum necessariò prætelligi debere non tempore , sed tantum ratione , nam præter allatam authoritatem

Philo-

Philosophi ex Metaphysicis vbi negat formam vllam præcedere suum subjectum, ^{12. Tex.} 16.
 sequeretur etiam quod otiosa vagaretur, cum sit ens incompletum, quod compleri debet per vniōnem, proposuit enim an omnes animæ existerent ante corpus, an nullæ, an aliquæ ita, aliquæ non, & an essent in materia, & an provenirent ex semine maris, & an ex vi seminis fierent idest traducerentur, an verò omnes extrinsecus advenirent, an verò aliquæ, & tandem concludit ad negandam traductionem, aut eaurundem generationem ex materia, quod sola mens extrinsecus adveniat, quinimo clarè ex eodem loco patet, non solùm alias animas, sed neque intellectivam præexistere, quam dicit priùs esse potentia, deinde esse actu, inquit enim priùs fieri seu generari vegetativam, ac post sensitivam, ac demum extra materiam advenire intellectivam, eamque separabilem esse à corpore.

Verùm quia dixi priùs generari vegetativam, postea sensitivam explico, per generari non intelligo quod de novo educatur è potentia materiæ, sed repeto quod supra alio loco dixi, transfundi, seu tradduci cum semine, in quo formaliter existit anima, & juxta naturæ exigentiam principium illud sensitivum eminenter seu virtualiter in se continere principium vegetativum, dixi enim

enim generari respectu actus secundi operationum scilicet, quia primò reluent ac manifestantur operationes vegetabiles, scilicet nutritionis, ac accretionis, aliarumq; potentiarum his ministrantium, ac paulò post sensitivas, ita enim requirit ordo naturæ, ad quid enim sentiret æmbrio nisi nutritur & augmentaretur? frustranea certè esset sensatio, originaliter ergò primò requiruntur vegetationes quam sensationes.

Nunc restat inquirendum si quid reperibile sit quod redarguat ex Philosopho mortalitatem animæ, & pro posse dilendum est, & quibus aliqui ejus mentem dubiam eruunt.

*I. Tex.
ultim.*

Et ante omnia dicunt eum in Physicis pronunciaisse sibi imposterum agendum esse de Physicis & corruptibilibus formis, anima enim inquiunt est forma Physica, ergo & corruptibilis, huic textui varie responderi potest, dico igitur quod anima sub duplice occurrat consideratione, vel enim consideratur ut talis substantia est, vel prout est forma corporis organici, si primo modo textus adductus nihil facit ad rem, nam Philosophus hic non loquitur de tali substantia animæ, sed de anima quatenus forma est, & sub hac consideratione dico esse corruptibilem, informativè videlicet, non entitativè, separata enim à corpore non amplius forma est, ergò sub hac ratione definit esse,

&

& ita corruptibilis dici potest, non enim dicit se acturum imposterum de Physicis solum, sed addit & corruptilibus formis, quare manifestum est, quod eam accipiat sub ratione formæ, etenim cum sit forma hominis qui corruptibilis est, & satis est quod Philosophus sit eam speculatus sub hac ratione, & ita videtur genericè loquutus, omnes verò formæ corruptibiles dicuntur, etiam si aliqua quæ sit vltimi termini Physici sit incorruptibilis, hæc enim vltima species non potest præjudicare generico modo loquendi.

Verùm alio etiam modo responderi potest nempè Philosophum ibi loquutum esse contra Platonem, qui existimabat principia rerum esse idæas, quas formas vocabat abjunctiones à materia, & ab omni singularitate abstractas, ideoque ingenerabiles, & incorruptibiles ac vniversales: Aristoteles igitur loquitur comparativè ad has, factaque comparatione vocat eos corruptibles, quæ non ita sunt abstractæ & vniversales, sed corpori corruptibili junctæ, existuntque ut partes compositi corruptibilis, & ita interpretari debet textus etiam alibi ex Physicis vbi ait: *latent autem qui hoc faciunt, & qui ideas dicunt:* loquitur enim de separatione reali vniversalium à singulæribus.

Desumunt pariter mortalitatem ex 12. Tex.
Me. 39.

Metaphysicis , vbi afferit quòd DE O insit fælicitas perpetuò , homini verò paucò tempore , ergò anima inquiunt non potest esse perpetua & immortalis ; facilis est solutio , loquitur enim de fælicitate quæ competit intellectui conjuncto , quæ certè parum durat , non verò de ea quæ competit separato , quam superius ex Ethicis demonstravi ex illius mente per ævum æternum durare .

s. cap. 6. Et iterum desumunt argumentum ex Ethicis , vbi afferit quòd fortis in mortis periculo timet , quia mors est terribilium ultimum , nec quidquam boni , vel mali fortis cogitat sibi post mortem posse accidere , sed quia cogitat post mortem cessaturam operationem fortitudinis , hæc fuit Philosophi mens & non aliter .

3. Tex.
20. &
29. Ulteriùs producunt argumentum de-
sumptum ex libris de anima , vbi ait , quòd
intellectus non possit intelligere sine phan-
taestate , ergo inquiunt ex mente Philoso-
phi non potest separari à corpore , quia ani-
ma sine phantaste nihil intelligit , huic
argumento satis respondi , vbi egi an anima
absque phantastibus intelligat , nihilo-
minus tamen dico , quod ibi Philosophus lo-
quatur de intellectu quatenus versatur cir-
ca sensibilia , non verò de intellectu abso-
lutè , nam hic ut dixi substantias abjunctionas
à materia , univerſalia , Deum , Angelos , &
se ipsam cognoscit , & hoc sine phantasma-
tibus ,

tibus, hæc enim concurrunt ad facilitandum intellectum, non verò ad absolutè operandum.

Potest etiam alio modo responderi, quod Philosophi intentio sit intellectum conjunctum in hoc statu operari quidem ordinariè dependenter à sensibus, quia ita facilius operatur, ita tamen ut dum prima vice species intellectuales sunt impressæ in anima, tali pacto anima possit, sine superadditis seu supervenientibus aliisphantasmatum speciebus cognoscere & intelligere, quod evenit juxta Philosophi mentem loco 3. *Tex.* citato, dum intellectus reflectitur in se⁸, ipsum, quid ni intellectus in habitu non intelligeret sine speciebus phantasmalibus? de anima, nulla enim videtur necessitas propter quam ab illis speciebus necessum foret moveri, nam licet ut supra operatio pereat, quia producta est mediis speciebus phantasmalibus, remanet tamen substantia intellectus, quare nulla est illatio, perit operatio, ergo etiam perit principium, quia alia intelligibilia manent, quæ possunt intelligi absque ministerio phantasie: etenim habitus habet se per modum formæ informantis ipsam animam seu intellectum, sed dato quod forma pereat sub ratione disunionis, non per hoc perit subjectum substantialiter, ita etiam per actus contrarios emarcescunt habitus, & alij introducuntur, non

tamen per hoc perit ipsa substantia receptiva habituum, nisi dixeris quod pereat intellectus sub formalitate habitualis, quod ultra concedo.

s. Tex.
52.

Ulterius obijciunt ex Physicis, ex eo quod principia quae se movent per accidens sunt corruptibilia, anima vero movet se per accidens ad motum corporis, ergo inferunt ex Aristotele est corruptibilis.

Respondendum est hanc propositionem non esse absolute veram, siquidem corruptibilem necessariò sunt partes corruptibles, etenim si moveri per accidens spectaret solummodo ad corruptibilia, ergo sol, luna, & alia astra essent corruptibilia, quia moventur per accidens, ad motum enim suorum orbium moventur, mancum igitur & mutilum existimo textum illum sive interpretum, sive impressionis incuria, quoquo modo sit sensus esse debet, quod moveri à se ipso per accidens importet debere inesse corruptilibus, omnes enim animae insunt corporibus generabilibus & corruptilibus, licet per hoc non colligatur, quod post corpus omnes manent, solutio ergo sufficiens foret nisi instantia de astris aliter suaderet.

Dico ergo, quod illud quod movetur à se ipso seu ex se incipit motum sine alia praecedenti motore activo, & hoc motu movens moveri per accidens inest corruptilibus

libus solum, sic anima incipit motum à se
 ipsa in corpore, & ad motum corporis mo-
 vetur per accidens, quoniam quod sic mo-
 vet & per accidens movetur, habet cum re
 mobili connexionem, & dependentiam in-
 separabilem, aliter non moveretur ad mo-
 tum illius, dependens autem, & insepara-
 bile corruptibile est, saltem ad corruptio-
 nem illius à quo dependet, quare cum sic
 moveat anima corpus, & moveatur, vide-
 tur argumentum aliqualem apparentiam
 habere, sed certè si res bene perpendatur
 nullius vigoris est, nec aliud importat,
 quam quod anima actu existens in corpore,
 naturalem ac necessariam cum ipso habeat
 connexionem, neque liberari à dependen-
 tia, & inter corruptibilia quo ad attinentia
 & constitutionem connumerari: ex alio
 verò capite si essentiam ejus & entitatem
 respiciamus, non absolute dependentia su-
 periùs dicta inseparabilis est, sed quis dubi-
 taret hanc dependentiam non posse persi-
 stere cum immortalitate? fiat ergo compa-
 ratio ad materiam primam, quam semper
 dependere cum alio tantum reperiemus,
 nunquam per se ipsam motam, nihilominus
 incorruptibilis est quo ad substantiam, & li-
 cet per immortalitatem viedeamur quasi
 Deo æquiparari, cum tamen anima mate-
 riæ unita sit, videtur aliquid ejus naturæ
 derogari, quia videtur quasi materiæ con-

ditiones insequi , sed immortalitatem ex-
stimatorius , si in se formaliter spectetur esse
quoddam intrinsecum rei , quod additum
alicui non variat , prout etiam remotum
non destruit , quod nil aliud est dicere ,
quam esse durationem æternam quæ natu-
ram rei durantis non mutat . Unde recte
asserit Philosophus in Ethicis : verum tamen
I. cap. 6. quia sempiternum aliquid est , ideo magis bo-
num erit , si quidem neq; album , quod diutius ,
quam quod uno die tantum durat albius est :
ideo ipsa sempiternitas est optabilis , quia
anima per virtutes intellectivas magnum
sperat bonum in alia ventura patria , ideo-
que omni conatu ad eandem immortalita-
tem anhelat .

Ulterius mortalitatem animæ dedu-
cunt , ex eo quod anima sit terminus vlti-
matus perfectivus , faciunt illationem , er-
go est inseparabilis , certè hæc consequentia
parum sonat ad meritum , nam anima pro-
priam habet entitatem , & tamen dicitur
per se & essentialiter actus corporis , licet di-
versa sit entitas ab actu informandi , nam
separata remanet essentia , non vero actus
informandi , quia non est amplius actus cor-
poris , cum certum sit prædicata essentialia
esse inseparabilia ; in ordine vero naturali ,
ad finem & ad aliud (prout decet essentia-
lia principia) forma actuans est , & si quis
diceret actu poni ut genus in recto in de-
fini-

finitione ipsius animæ, & quod ideo sit prædicatum verè quidditativum, quia plerumque in naturalibus habent se per modum respectus, ex rationibus nobis videlicet, sic materia definitur per subiectum in recto, sic quantitas in Metaphysicis definitur in ^{5. Tex.} ordine ad substantiam, & qualitas pariter, ^{18.} materia nempè quod alteri subjiciatur, & substantia quod substet sic anima, sic reliquæ formæ in ordine ad materiam, ita ut per colligantiam & ordinem dentur definitiones, non verò absolute.

Dico ergo animam non esse terminum, taliter ac tali pacto constitutum, quin propriam habeat entitatem creatam, secundum quam inseparabilis sit, ergo anima rationalis est de essentia & constitutione hominis, non autem quatenus actus est, est de essentia in primo modo per se de anima, sicut animal vel rationale hominis, quia taliter sine dubio non esset separabilis, & ut verum fateor, quandoquidem à plurimis excellentissimisque Philosophis materiæ primæ propria attribuitur existentia, quidni & animæ quæ indicibili præstat substantia? & tamen ab illis per potentiam D E I separabilitas non negatur.

Impugnant maximè, quia animæ passiones videntur communes cum corpore: aliqui vero respondent verum esse, si intellegite excipias; sed hæc responsio nugatoria

videtur, si enim Philosophus excepisset, facile esset objiectionem diluere, sufficit ergo pro responsione dicere, quod in toto

Tex. 65. primo libro de anima videtur Philosophus dubitanter in hoc merito loqui, nec quidquam determinasse, verum resolvit tandem, dum ait senium non esse quia sustinuit aliquid anima, & ulterius sensum ex vehementi sensibili laedi, intellectum ex magnis intelligibilibus roborari: & degenerat animalium actionem intellectus non communicare cum actione corporis, quod est dicere animam habere proprias operationes independentes à phantasmatibus, nam phantasmata repræsentant singularia, ex quo universalia per ipsa non possunt repræsentari, intellectus verò ex physicis universalia intelligit.

49. **Tex.** Objicitur etiam quod si anima ratione operationis esset separabilis quod idem foret dicendum de alijs omnibus animalibus, & formis, quia omnes sunt operationis principia.

Responsio sit, quod cæteræ animæ absolutè dependeant à corpore, ideo si disjungantur intereunt, quare necessè est, quod nec principium absolutum operandi habent; Anima verò rationalis habet entitatem independentem, à qua scaturiunt propriae operationes, & quidem tam separata, quam conjuncta: & licet Aristoteles in physicis

sic dicat accidens esse separabile, dico hanc separationem intellexisse cum corruptione accidentis separabilis, cum verò loquimur de separatione animæ, eam intelligimus cum permanentia rei separatæ, forma verò ut forma, est relativum secundum dici ad materiam, & sic inseparabilis est.

Obtrudunt pariter quod Aristoteles vocet intellectum passivum corruptibilem, abundè huic objectioni responsum est ^{3. Tex.} supra, sed videntur magis fundari super autoritate Philosophi de anima dicentis: *qui non sentit aliquid nihil addiscet, aut intelliget, & cum speculatur necesse est aliquid phantasma speculari*: verum non est difficilis solutio hujus quæstionis, dico enim Philosophum ibi loquutum esse de intelligentia quæ est circa res naturales & sensibiles, etenim sensibilia quoque intelligibilia sunt per sensus primo debent cognosci, unde sistendo inter sensibilia semper dixit intelligentiam fieri per phantasmatum, & quod ita intellexerit, & talis sit sensus textus patet ex textu antecedenti, ubi ait: *neque resulla est præter magnitudinem, ut videntur sensibilia separata informis sensibilibus intelligibilia sunt, & que in abstractione dicuntur, & quæcumq[ue] sensibilium habitus & passiones sunt, & ob hoc qui non sentit aliquid, nihil utiq[ue] addiscet*: quis verò non advertit loqui de rebus naturalibus? per hoc verò argui non

Cap. 5. potest animæ mortalitas, & idem responsum sit ad ea quæ adferuntur de memoria & reminiscentia, loquitur enim de naturalibus, & de memoria sensitiva, quæ circa sensibilia versatur, & in tali casu ego quoque dico intellectum dependenter à phantasmatisbus necessariò operari, non verò simpli-
**3. Tex.
8.** citer, quia ut sæpè dixi idem Philosophus in libris de anima ait, cum jam factus est in-
 telligens per se ipsum potest operari; item etiam D. Augustinus libro de quantitate a-
 nimæ sub littera D. *Atqui si corporeæ corpo-
 reis oculis mira quadam rerum cognatione
 cernuntur, opportet animum quo videmus illa
 incorporalia, corporeum corpusvè non esse, &
 iterum littera E ait: quia corpus non est ideo
 incorporeæ videre posset.*

Nec quidquam officit quod adversarij obijciunt; nullibi scilicet Philosophum di-
 xisse intellectum operari absque phantasia,
 nam semper traddidit scientiam de sensibili-
 bus, & in ordine ad hoc quo ad proxim
 verum est, neque enim discurrendo semper
 nobis idola fingemus, nam aliquando im-
 materialia, abstracta & divina intelligimus,
 vnde qui dicunt primam intellectus opera-
 tionem per phantasmata solùm fieri, alias
 non sic necessariò non male afferere viden-
 tur, & si dicatur animam non habere has
 operationes separatas, quia posset ad libi-
 tum operari, imò dico posse ad libitum o-
 pe-

perari dum versatur circa vniuersalia , haec
 enim de anima sunt verba Philosophi : *cau-*
sa autem quoniam singularium quidem secun-^{2. Tex.}
dum actum , sensus , scientia autem univer-^{60.}
sarium : haec autem in ipsa quodammodo sunt
anima , unde intelligere in ipso est , cum vult ,
sentire autem non est in ipso , necessarium est
enim esse sensibile : ergo anima rationalis im-
mortalis , & in æternum duratura , interi-
tum nunquam , neque occasum expertura
est , duratio enim ipsa quæcunque sit , na-
turam rei durantis mensurat , sicut tempus
mensurat motum , at mensura à principio
incipere debet ; si indeficiens , vel adæqua-
ta (vt decet) sit futura , causa enim prima
immortalitatem & naturam tribuit ipsi a-
nimæ , ab ea enim pendet in esse & vivere :
 Etenim rationi consentaneum est duratio-
 nem rei (quam in rebus incorruptilibus
 immortalitatem vocamus) ab initio suæ
 formationis largitam esse in æternum men-
 suram , ordo enim vniuersi requirebat , vt
 in ipso omnes gradus entis reperirentur ,
 quorum vnuus fuit eorum , quæ sunt partim
 spiritualia partim corporalia , in quorum
 numero est mens humana , quatenus enim
 per passiones subjecta est motui , corrupti-
 bilitati subjecta est , quo verò ad propriam
 entitatem salva , incolumis , ac immortalis
 est , permanet , permansuraque est , quæ li-
 cet habeat rationem subjecti recipientis , ita

s. Cap. sentit D. Augustinus libro de immortalitate
 animæ, cuius adamussim verba inserere vi-
 sum est inquit ergo: manifestum etiam est
 immortalem esse animum humanum, & om-
 nes veras rationes in secretis ejus esse quamvis
 ea, sive ignoratione, sive oblivione, aut non
 habere, aut amisisse videatur, (& paulò post
 subdit) prius ergo quot modis accipiatur, qua
 dicitur animæ mutatio, videamus, quæ ut opi-
 nor manifestiores duntaxat, clarioresque nobis
 duæ sunt genere, specie vero plures inveniu-
 tur, namque aut secundum passiones corporis,
 aut secundum suas animus dicitur immutari,
 secundum corporis, ut per atates, per morbos,
 dolores, labores, offensiones, voluptates, se-
 cundum suas autem, ut cupiendo, letando,
 metuendo, studendo, discendo. Haec omnes
 mutationes si non necessario, argumento sunt
 mori animam, nihil enim metuenda sunt per
 se ipsæ separatim, seu ne rationi nostra adver-
 sentur, quæ dictum est mutato subjecto, omne
 quod in subjecto est necessario mutari, viden-
 dum est: & circa finem sub elemento A. con-
 cludit: potest igitur aliqua mutatio fieri eo-
 rum quæ in subjecto sunt, cum ipsum tamen
 juxta id quod hoc est, ac dicitur non mutetur:
 & supra ad comprobanda asserta adducit
 exemplum de cera alba inducente colorem
 nigrum, non minus ceram esse dicit, si ex
 quadrata, rotundam formam sumat, & ex
 moli durescat, frigescatque ex calida, & ista
 in

in subjecto esse , & ceram subjectum manere , manet igitur cera , non magis minusve cera cum illa mutantur , & licet non solùm passiones , sed & cæteræ species intelligibiles recipientur in anima tamquam in subjecto ad eam mutationem seu interitum non est necesse & animam mutari , & concludit Augustinus : *quamobrem si anima subjectum est , ut supra diximus , in quo ratio inseparabiliter ea necessitate quoque qua in subjecto esse monstratur , nec nisi viva anima potest esse anima , nec in ea ratio potest esse sine vita , & immortalis ratio , & immortalis est anima , & eodem libro : quod factum ortumve non est ,* Cap. 8. *sempiternum sit necesse est : & postquam per totum fermè caput 8. differuisse de comparatione corporis ad animum reassumit argumentum de vita : Non ergo inquit potest animus mori , nam si carere poterit vita , non animus , sed animatum aliquid est : & libro de animæ quantitate : anima videtur similis Deo , & tu difficilè putas Deo fuisse , ut aliquid sibi simile faceret , cum hoc in tanta varietate imaginum , etiam videas nobis esse concessum.*

Igitur anima intellectiva duplici fungitur munere faciendi nempè & recipiendi , & prout fungitur primò appellatur intellectus agens , quo est omnia facere , cuius actiones duæ sunt , illuminare formas seu species sensibiles , existentes in imaginacione seu aestimatione , & illuminando abstracta .

here , & alio recipiendo species abstractas
 jam à materia , & sub ratione dicitur intellectus passibilis , quare dicitur etiam materialis quatenus est solum in potentia , nullam habens formam seu speciem intelligibilem , nisi quando est in habitu ; Hic idem etiam vocatur dispositus , quod idem est ac habitualis , quando scilicet habet in se principia , vel propositiones , quae non aliundè , sed per se sunt nota , vt omne totum est manus sua parte , de quolibet est vera affirmatio , vel negatio , & si æqualia ab æqualibus demas , quae remanent æqualia sunt . Alter etiam vocatur adeptus vel perfectus , quando habet conclusiones , quae seqvuntur ad principia , sed non est conversus ad illa per actualem considerationem ; ita etiam actuatus , vel accommodatus quando hæc actu considerat .

I. Unde D.Augustinus distinguit intellectum in superiorem & inferiorem , sed hæc distinctio rationis est , ideoque Plato in Timæo : *ad hoc inquit anima conjuncta est corpori , ut fruatur scientiis & virtutibus ; si autem cum fervore magno se invenerit , benignè recipietur à suo creatore , si autem secus , relegabitur ad infera :* & Aristoteles in Politigis : Anima naturaliter dominatur corpori , sicut dominus servo : & ibidem utile est corpus regi ab anima : & Parphyrius in suis præceptis : Anima inquit immortalis est , vivit que

que perpetuò nec senescit vnquam. Et Pythagoras in aureis versibus : aurigam animam optimam si constitueris corpori : vbi derelicto corpore ad libera æthera perveneris eris immortalis : Erasmus in declamatione de morte citat Socratem dicentem hominem ipsum animum esse, corpus autem nihil aliud quam animi organum, vel domicilium, vel certè sepulchrum, ac carcerem : vndè cum emiserit, tum demum sui juris esse, multoque quam antea fælicius vivere : Philistio animam sapientis D.E.O conjungi dicit, mortem non pendere animam, sed causam esse malam vitam quæ pendit animam : Seneca vt qui in alieno ait habitant, multis aguntur incommodis, semperque de aliqua domicilij parte conqueruntur, ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio conqueritur : significans se esse non in suo domicilio, sed vndè breve sit emigrandum, & idem Epistola 93, vt ex barba capillos detonsos negligimus, ita ille divinus animns egressurus hominem quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra congregat, non magis putat ad se pertinere, quam secundas ad editum in fontem : Panormitanus in libris de Alphonsi rebus gestis, ait eundem Alphonsum maximum immortalitatis argumentum desumpsisse ex eo, quod cor-

corpora in hac vita decrescere , ac per omnia membra suos quasi fines & terminos habere videret , animas verò quantò ad annos accederent , tantò magis intelligentia , virtute , ac sapientia crescere : Cicero in Catone majore ex Xenophonte , ait Cyrum morientem dixisse filijs suis , nullo modo filij , hoc vñquam mihi persuasi , vt animus vivat donec fuerit in corpore mortali , quam verò ab hoc solutus fuerit , moriatur .

Lib. II. Aelianus de varia historia ait , Cercidum Megapolitanum in morbum periculosissimum incidisse , interrogatumq; num libenter moreretur : quid ni? dixisse , video enim post mortem viros in omni scientiarum genere doctissimos : ex Philosophis Pythagoram , ex historicis Hecataeum , ex Poëtis Homerum , ex Musicis Olympum , qui suis literarum monumentis nomen sibi immortale pepererunt : Plialo Judæus libro quod omnis probus liber , innuit Anaxarchum à Nicrocreonte Cyri tyranno captum & maleis ferreis in faxo excavoto contusum effatum fuisse : Tunde inquit tunde probe Anaxarchi carnes , & offa , Anaxarchum nequaquam lædes (subdit Philo) sensit autem Philosophus clarissimus tyrannum quiddem potestatem habere , vt pro arbitrio crudelitatem suam exerceat in corpora hominum , animum , tamen immortalem semper fore extra omne tyrannorum imperium ,

tiūm , & vt finem imponamus huic digreſſioni attinenti quidem ad immortalitatem animæ juxta etiam tot Gentilium opinio- nem, quam solo lumine naturali ducti agno- verunt cum Cicerone concludamus , qui de ſomnio ſcipionis hæc ſcripsit: *tu vero eni- tere, & ſic habeto, non eſſe temortalem ſed cor- pus hoc, nec enim tu iſi eſt, quem ferma iſta decla- rat, ſed mens cuiusq; iſi eſt quisq;, non ea figura* quæ digito demonstrari potest : *Deum igitur te ſcito eſſe, ſi quidem eſt Deus, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit & moderatur, & movet hoc corpus cui præpoſi- tus eſt, quam hunc mundum ille Princeps Deus, & ut ille mundum quadam parte mor- talem ipſe Deus aternus, ſic fragile corpus a- nimus ſempiternus movet: Et ipſe Theopbra- ſtus & Temiſtius Discipuli Philosophi admit- tunt immortalitatem animæ, quam ſine dnu- bio didicerunt ab ipſo magistro.*

Cum verò abundanter dictum ſit ani- mam eſſe aternam ideoq; separabilem ex- tituram , & defacto exiſtere inquirendum videtur de ſtatu separationis.

Aliqui exiſtimarunt hanc separatio- nem de qua quæritur fabulosam eſſe, quia inquiunt cum anima habeat inclinatio- nem & appetitum vniſi corpori, ſequere- tur quod ille ſtatus eſſet violentus : reſpon- dendum tamen eſt, eſſe quidem connatura- le animæ informare corpus, non tamen
exige-

exigere perpetuò informare , & cum habeat operationes etiam independentes à corpore, non exigit ita unita esse corpori , vt non possit separata existere , ille tamen status dici potest secundùm quid innaturalis & violentus , quia non est ita consentaneus fini à natura principaliter intento , & ita potest dici præternaturalis , hoc est præter finem à natura intentum , quamvis simpliciter & absolutè status separationis non sit violentus , solum autem illud videtur simpliciter violentum , quod est absolute tale , nec durabili est & perpetuum.

Quare status separationis animæ dici potest appetibilior quàm conjunctionis , non quidem secundùm appetitum innatum sed elicitum , nam in illo statu sine dependentia à sensibus operatur vt Angeli , & perfectius cognoscit se , & spiritualia : ita vtexigat unionem cum corpore quantum est de se , atque adeo sit contrà inclinationem illius non esse unitam , quia verò non appetit appetitu absolutio , vt inclinetur ad unionem perpetuam , cum hoc sit naturaliter impossibile , & consequenter naturali appetitum habere non possit ad rem naturaliter impossibilem , sequitur evidenter secundùm quid statum separationis esse contra inclinationem animæ & violentum , non autem simpliciter & absolutè : & ratio est , quia cum non detur in anima absolutus appet-

appetitus & exigentia respectu vnius, non potest negatio vnionis illi absolutè esse violenta , & sicuti appetitus est tantùm secundùm quid , ita & negatio vnionis , vnde animæ non debetur necessariò status conjunctus , quia cum sit operativua etiam independenter ab organis corporeis , connaturaliter vterque status est illi proportionatus simpliciter , quamvis secundum quid sit contra inclinationem.

Verùm quæri potest vtrum anima separata producere possit operationes materiales negativè respondeo quia ad perficiendas operationes materiales necessariò requiriuntur organa seu instrumenta , anima vero separata nulla habet , ideo similes operationes producere non potest , anima enim vt supra dictum est ex Philosoph: vtitur corpore , vt ars instrumentis , sed etiam ex alio capite non est productiva similiūm operationum , quia anima est principium vitale vt alibi dictum est , & ejus operationes cum sint immanentes deberent recipi in ipsa anima , cum tamen nihil materiale recipi possit in spirituali , nec ratione igitur instrumenti , nec ratione principii , quare ex his dictis sequitur mentem humanam posse producere operationes spirituales intelligendi , & volendi nempe.

Vlterius quæri potest , an anima separata ferat secum species impressas & habitus

Intel.

Intellectuales, quos habuit vnitæ, & difficultatis fundamentum est, quia cum illæ species sint spirituales, videntur posse independenter à materia conservari præsertim cum illarum causa adæquata & conservativa.

Dico probabile esse adferre secum species & licet probabilis etiam sententia sit, quod in separatione eas amittat, & Deus alias infundat nihilominus tamen prior sententia magis arridet.

Probatur assertio, quia animæ separatae recondantur eorum, quæ vnitæ gesserunt, ut constat ex multis historiis, & sacris paginis & hujus rei nulla alia potest reddi causa, nisi quia retinuerunt species quos habuerunt dum errant vnitæ, ad Deum enim confugere est sine fundamento & necessitate quod alias videlicet species infuderit, non videtur opere prætium nam ad quid destruerentur primæ, ut aliæ infundantur, quare dicendum animam separatam habere quidem multas cogitationes perfectiores illis quas habuit in corpore, sed etiam potest habere multas æquales & similes, sic etiam homo adultus multas habet cogitationes perfectiores quam habuerit puer, sed tamen etiam aliquas similes, & ulterius dico animam cum iisdem speciebus posse elicere perfectiores operationes separatam quam conjunctam, & ratio est quia

quia in statu separationis magis libera est & independens à sensibus.

Quare explico non solum adfert secum omnes species intellectuales habitusq; aquititos scientiarum , & virtutum , cum omnia ista conserventur & permaneant in memoria intellectiva , quæcum sit intellectus ipse ex necessitate permanent in anima separata , & ratio videtur cum habitus deperdantur , & corrumpantur per actus contrarios , confirmati vero in ipsa anima nullos habeant contrarios habitus vel actus in statu separationis à quibus corrumphi possint , minus per oblivionem , aut cessationem ab actibus ;

Verùm aliquid forte difficultatis adfert , eo quod in prima aquisitione similes habitus habuerint dependentiam à phantasmatibus , dico tamen quod licet habuerint illam dependentiam in fieri , nullam ideo habeant in conservari cum facti sint spirituales , minus in usu , siquidem illa dependentia quam habet dum est in corpore , haud essentialis est , sed necessaria tantum propter naturalem simpatiam , nec non subordinationem potentiarum sensitivorum cum intellectu vnto . Anima vero separata clariori & nobiliori modo intelligendi vertitur , in priori enim statu conjunctio respicitur non solum modus essendi , sed etiam

nima à corpore , ergò non est alligata alicui spatio , & ex indè dico cum moveatur cum corpore , quod difficilius est , quam si moveat se ipsam solam , & si aliquid abjeceris de vnione , hanc dico solummodo esse conditionem requisitam vt moveat corpus secum , vt autem se ipsum moveat nullo modo requiritur illa conditio , & ratio est , quia potentia loco motiva non distinguitur ab ipsa anima , & quamvis anima non possit elicere motum sensibilem , qualem habet vnta dependentem ab organis materialibus , potest tamen habere motum spiritualem , quia est idem cum ipso , vbi animæ rationalis , sive illud sit divisibile , sive indivisibile , quod modo non controverto.

Aliqui tamen afferunt , ex eo animam rationalem habere virtutem movendi quatenus est forma corporis , & quia separata deficit hæc formalitas , ideo denegandam esse ei facultatem matricem , sed quidquid sit , nullum video fundamentum negandi etiam animæ separatae virtutem movendi alia , nam sicuti in corpore potest alia movere , quare non etiam separata à corpore , quandoquidem vnio non est conditio movendi alia extra corpus , sed solum movendi ipsum corpus , nec quidquam convincit illa ratio , quod ratione formæ habeat illam virtutem

virtutem , quod si ita est , quare etiam non alia corpora ? & profecto si hæc ratio valet , non potest alia movere nisi prout forma est , dicam ego quod separata nec se ipsam movere poterit , quod tamen falsum est , ita Combricenses in libros Metaphysicos Aristotelis in Proœmio .

14.

Cum ergò animæ separatæ intellectu , cognitione , voluntate ac memoria prædictæ sint , necesse est per has bene , vel malè affici , siquidem objectum ex sua natura operatur in potentiis quorum est objectum , maximè cum dixerimus animas separatas asportare secum species & habitus aquisitos tempore vñionis , jam ergò

Quæritur quomodo se habeant animæ separatæ circa necessarios & affines , & quomodo inter se , an scilicet ex cognitione animarum , quæ olim amicorum fuerunt , lætentur , & ex inimicorum conturbentur , objectum enim amabile delectationem patit , odibile tristitiam .

Dico quod animabus separatis nihil importent hujus status conjuncti commutatores , ad eas enim nihil pertinet , nec per cogitationem de hoc ab eis relicto statu , quid enim nos cogitamus de iis , quæ nobis in vtero contigerunt ? & ipse Philosophus in Moralibus Nichomachiis , parum vel nihil ad animas defunctorum prosperitates vel

infortunia viventium attinere afferuit,
quidquid in hoc statu mali eveniat, quod
mærorem inducere posset, animas sepa-
ratas exagitare non potest, siquidem in-
corruptibles, impassibiles quoque exi-
stunt.

Utrum verò animæ in alio statu con-
versentur & alloquantur non est facile ali-
quid statuere, rationabile tamen est, quod
sic quandoquidem hic affectus non aliundè
originem ducit quam ex Symboleitate, id
est, ex rationis participibus ex ipso intelle-
ctu originem dicit, & quidem ut dictum
est, cum remanserint & species & habitus
frustranei forent, si inter se recensere opera
patrata in hac vita requirent, sicuti etiam
discurrere de diversis rebus.

Quomodo autem id fieri possit adhuc
sub nube est, nam vox formatur ex corpo-
rum ictu, videndum igitur est quomodo al-
loqui possint, & statuendus est aliquis mo-
dus quo possimus conjecturari animas in-
ter se loqui.

Dico ergo quod dum anima A. vult
manifestare animæ B. suum conceptum,
posita tali voluntate, statim species illius
voluntatis & objecti animæ A. loquentis in
anima B. audiente producitur, ita ut intel-
ligat alteram. Quare excitatio ad audien-
dum fit quando posita voluntate ad mani-
festan-

festandum animæ B. suum conceptum illius conceptus species producitur in anima audiente, qua specie posita statim audit & intelligit loquentem, & cum loquutio sit manifestatio objecti, prout est in intellectu loquentis, & volitio, qua volitio ad loquendum & objectum manifestandum non est in intellectu, sed voluntate, nihilominus tamen illa volitio est ordinatio objecti, prout cogniti, à voluntate prout veliti, ita ut fiat vno, vnde semper homo cupit scire, quid cogitet quando alteri loquitur; hinc ex Aristotele, voces sunt eorum, quæ sunt in anima passionum notæ.

Quapropter anima separata non solum simplici supra exposita loquutione loqui potest, sed potest etiam simul pluribus, quoniam voluntas est tantum conditio requisita ut producantur in audiente species, quam loquens efficienter non attingit, sed DEUS producit ad ipsius arbitrium, & quidem in quacunque distantia loqui potest.

Restat ultimo inquirendum vtrum animæ separatae habeant naturalem appetitum, inclinationem, & desiderium ad unione cum corporibus, tamquam ad subiectum & partem principalem sui suppositi, cum quo olim affinitatem & connexionem haberent.

Authores in vtramque partem declinant, aliqui enim existimant ita esse, alij negant: & licet aliquid breviter superius dictum sit, attamen ego negativam sustinem, & ratio videtur, quia ille status magis expetibilis est, qui magis liber est ab imperfectionibus, sed status separatus magis liber est, ergo: recordantur enim animæ afflictionum quas vnitæ sunt perpetuae, nemo verò dicet has esse expetibiles, & licet magna affinitas quam habuit cum corpore ratione vunionis à natura ipsi advenerit, multi tamen ad proprium domicilium redire non satagunt, rememorantes incommoditates & miserias, quas inibi passi sunt; in statu verò separationis in quo anima intuitivè cognoscit immaterialia, & omnia abstracta à materia, hic status est præstantior & nobilior, quam hic conjunctus plurimi miseriis ac afflictionibus involutus, nunquam optatæ quieti innitens, sed continuis passionum fluctibus exasperatus, ad quid quæso anima ad hunc carcerem reddine optaret? maximè cum anteactæ vitæ species retineat in memoriæ thesauro? quid enim homo nisi compositum ex elementis contrariisque qualitatibus, & humoribus continuo inter se præliantibus? & anima separata, non amplius pars hujus infælicis compositi.

Etenim

Etenim ex vi naturæ simpliciter & absolute non est amplius ei bonum esse cum corpore , nam quæ alicui aliquando bona fuere non semper ei in sempiternum bona , ad cuius propositum Scotus in 4. distinct: 43. quæst: 3. art: 3. validum adducit argumentum , quia inquit si anima separata naturalem haberet appetitum ad informandum corpus iterum debita ei esset reunio , quia appetitus naturalis non versatur , nisi circa rem naturaliter debitam appetenti , sed reunio non est naturaliter debita , ergo non habet appetitum ad illam , minor ab ipso probatur , quia quod est debitum naturaliter alicui potest ab eo naturaliter haberi , hoc est per media naturalia , sed constat nullum esse medium naturale per quod possit iterum anima separata reuniri corpori , ergo non habet talem appetitum naturalem ad reunionem : de Resurrectione novissima mortuorum nihil dico , quia illa non fiet naturaliter sed ita volente , & ab aeterno disponente D E O .

Hæc itaque breviter dicta sint de anima , ejusque immortalitate ex sententia etiam Aristotelis , quæ omnia juxta sensum & præscriptum orthodoxum dicta esse volo , nec aliter ,
imò

imò si quæ non consona forent, quod
non credo, eadem nunc revoco at-
que retracto, in melioremque semper
fensem me descensurum pro-
fiteor.

F I N I S.



